

Le texte proposé ici est celui de l'édition publiée à Schwäbisch Hall, en 1539.

## I

HELII EOBANI HESSI SILVARUM LIBER PRIMUS  
QUI SARMATICUS INSCRIBITUR.

AD SERENISSIMUM SIGISMUNDUM REGEM POLONIAE  
PRO MAGISTRATIBUS MILITIAE TEUTONICORUM PRUSSIAE  
IN CONVENTU PETRICOVIENSI.

S1\_1 v.1 Si licet, et magnum fas est orare Tonantem  
2 estque etiam pueris auris aperta Dei.  
3 Cur non, Rex invicte, vaces mihi pauca roganti  
4 otia, cognoscas hoc breve donec opus ?  
5 Qui licet immensa curarum mole graveris  
6 sisque animo Regnis latior ipse tuis,  
7 te tamen assiduas decet intermittere curas,  
8 otiaque interdum non onerosa sequi  
9 quae quamvis non pauca tibi solacia praestent  
10 qualia tam magnis Regibus esse solent.  
11 Hic tamen invenies quod te quoque forte juvabit  
12 cognita si fuerit littera tota tibi.  
13 Quam si rejicies prima vix fronte revisam  
14 contemnes certe quod placuisset opus.  
15 Quod mihi ne timeam contingere posse, monebat  
16 Majestas vultus illa benigna tui.  
17 Praeterea quae te virtus clarissima multis  
18 praetulit, aut fecit Regibus esse parem.  
19 Talem, si quaeras, qua te ratione notarim  
20 sum fateor testis proximus ipse mihi.  
21 Ipse ego te vidi Regalia sceptrum ferentem  
22 tunc cum legitimos ingrederere toros.  
23 Nec tantum vidi, sed et hoc si ducere laudi est  
24 contigimus dextram Rex generose tuam.

25 Praeterea qua laude tua sim cultus in aula  
 26 talibus indignum scribere paene pudet.  
 27 Ipse ego te meritis plus quam Regalibus auctum  
 28 non minimae quodam laudis honore tuli.  
 29 Regales cecini thalamos pompamque jugalem  
 30 tradita sunt manibus carmina nostra tuis.  
 31 Quaeque tot exhibuit Cracovia docta poetas  
 32 tunc quoque Teutonico vate superba fuit.  
 33 Illa dedit nostris de te superesse libellis,  
 34 inque tuas laudes hic et ubique legi.  
 35 Ergo ego non primum tua nunc Regalia pulso  
 36 limina, virtutes diximus ante tuas.  
 37 Hinc etiam timidae venit fiducia menti  
 38 te coram nostras posse valere preces.  
 39 Non ego divitias, non aurea dona precabor  
 40 inque meo nullum carmine fenus erit.  
 41 Verum si dederis quod carmine poscitur isto,  
 42 quod dabis haud perdes, sed magis ipse ferēs,  
 43 sed ne forte morer Regalem ambagibus aurem  
 44 in versu nubes non erit ulla meo.  
 45 Aspice Sarmatici moderator maxime sceptri  
 46 aspice rex meritis non habiture parem.  
 47 Aspice quam celebri concurrant undique pompae  
 48 quam solium stipent milia multa tuum.  
 49 Quid sibi tot proceres ? Quare venere ? Quid optant ?  
 50 Praecipue quorum crux nigra pectus habet.  
 51 Numquid ut insurgant, rursusque abjecta resumant  
 52 inque plagas moveant arma resumpta tuas ?  
 53 An quia divitias speciosaque munera quaerunt ?  
 54 An quodcumque aliae condicionis habent ?  
 55 Non ita, non alia te nunc ratione salutant  
 56 quam qua nulla tibi notior esse potest.  
 57 Rex memori sub mente tenes, si forte revolvas.  
 58 Non aliqua tecum de novitate loquor  
 59 quod sibi Sarmaticis Regnum fundarit in oris  
 60 candida qui crucifer pallia miles habet  
 61 Prussia Parrhasiis afflata trionibus, olim  
 62 sub duce gentili barbara terra fuit.  
 63 Vasta situ, neglecta locis, desertaque cultu,  
 64 saepe fuit Regno pernicioosa tuo.  
 65 Saepe tuos valido vastavit milite fines  
 66 impia Christiferae gens inimica cruci  
 67 sanguine Teutonico, sed postquam fortiter empta est  
 68 exiit antiquos Prussia tota Deos  
 69 Romana Imperii Fridericus sceptrata tenebat  
 70 illius hic certe nominis alter erat  
 71 cum Mahometigenae capta Ptolomaide Turcae  
 72 Teutonicam Syria destituere crucem,  
 73 tum quod erat gentilis adhuc atque impia cultu  
 74 haec a Teutonicis terra petita fuit.  
 75 Annuit, atque armis permittit quaerere Caesar  
 76 si forte obtineant jura petita loci  
 77 quaesitam obtinuit terram gens incluta bello  
 78 Teutonicum subiit protinus illa jugum  
 79 hinc urbes positaeque altae victoribus arces  
 80 firmaque ductilibus oppida cincta vadis  
 81 Prussia Teutonicae merces data militie  
 82 Prussia Christiferae Regia facta cruci.

83 Floruit et plures late dominata per annos  
 84 deliciis tandem languit ipsa suis  
 85 atque ut cunctarum rerum est mutabilis ordo  
 86 fortunae instabilem sensit et illa rotam  
 87 sic illa emerito cum jam polleret honore  
 88 deflueretque opibus molliter ipsa suis  
 89 magnarum veteres rerum est imitata ruinas  
 90 visa nec exemplo est interiisse novo.  
 91 Martia sic rerum cum Roma potita vigeret  
 92 lapsa est, Cecropiae sic cecidistis opes  
 93 sic Thebae, sic Troja potens, sic alta Corinthus,  
 94 Punica sic Tyria moenia structa manu,  
 95 sic patrium amisit Judaea potentia sceptrum  
 96 non semel excisam sic Babylona ferunt.  
 97 Sic urbes, sic Regna cadunt, sic omnia mutat  
 98 haec Dea, quae tectum sindone lumen habet  
 99 vindice punita est ira sic forte tonantis  
 100 illa redemptori facta maligna suo  
 101 subque tuis afflictata jugum servile coacta est  
 102 ferre, licet miserae non placuisset, avis  
 103 qualicumque tamen dignas pro crimine poenas  
 104 nunc dedit, et plagis saucia quaerit opem.  
 105 Affer opem, nam tu medicas his febris artes  
 106 si, Rex magne, voles exhibuisse potes.  
 107 Conveniunt toto nusquam cum corpore partes  
 108 et queritur viduum membra relicta caput.  
 109 Collige dispersos distracti corporis artus  
 110 convenient capiti membra relicta suo.  
 111 Ejice grassantes toto de corpore morbos  
 112 recta salutifera pharmaca praebe manu.  
 113 Qua ratione queas non est opus indice, postquam  
 114 haec via non ulli est quam tibi nota magis.  
 115 Et potes, et non est Regum te fortior alter  
 116 nec magis assidua qui ferat arma manu.  
 117 Omnia Parrhasidos subjecta trionibus ursae  
 118 sunt tibi victrici regna subacta manu.  
 119 Seu prope sidentes Tanaim spectare nivalem  
 120 seu libet invictos Marte Boristhenedas.  
 121 Quam tamen ista tuo concedant omnia Marti,  
 122 dicere non elegi sustinere breves.  
 123 Quare age, Rex invicte, crucem defende labantem  
 124 et causam nolis deseruisse tuam.  
 125 Hoc te tota rogat communi Prussia voto  
 126 hoc te Teutonicam turba professa crucem  
 127 hoc rogat ille tui pars maxima sanguinis, ille  
 128 quo tua germana est germine facta parens,  
 129 Teutonicae princeps Albertus militie  
 130 quem sua nunc dominum Prussia jure vocat.  
 131 Quodque vocat ne qua possit ratione negari  
 132 Rex quia posse tuum est, sis memor esse tuum  
 133 quantula Prussiae servit tibi portio terrae  
 134 aspice quam regno sit minor ista tuo.  
 135 Tota tibi melius sibi reddita serviet, atque  
 136 partibus accedet fida ministra tuis.  
 137 Nunc jacet. Et longo ceu consopita veterno,  
 138 nec sibi, nec regno est utilis illa tuo  
 139 munera militiae quae nunc desueta prioris  
 140 turba negat, prompta surget in arma manu.

141 Tu modo rex jubeas, tibi sint ea munera curae,  
 142 tu modo, Rex, cumules quae minuuntur opes.  
 143 Quam bene Regali stabit crux juncta coronae,  
 144 non aliqua melius vincitur hostis ope.  
 145 Hostibus incutiet trepidantibus illa timorem,  
 146 non aliquo major miles ab ense cadet.  
 147 Ibis in adversos cruce munitissimus hostes,  
 148 invicta sternes impia castra manu.  
 149 Terribilem fecit qui cum moreretur in illa,  
 150 morte sua rerum terruit omne genus.  
 151 Non tua tunc celeres vastabunt Regna Valachi,  
 152 tunc tibi subjectus Tartarus acer erit.  
 153 Tunc sua deponent pharetrati cornua Russi,  
 154 et patriae solvent justa tributa tuae.  
 155 Regali gens nulla crucem diademate cinctam,  
 156 infesta poterit diripuisse manu.  
 157 Illa licet gelidam longe projecta sub Arcton,  
 158 frigida manantes de nive potet aquas.  
 159 Seu matutinis afflata refrigeret Euris,  
 160 saepius aestifero membra perusta die.  
 161 Dura sub occiduo seu corpora sole tepescat,  
 162 sive truci Boreae proxima regna colat.  
 163 Denique quocumque est sub aperti sidere caeli,  
 164 arma ferat forti qualiacumque manu.  
 165 Nulla tuos poterit non accepisse triumphos,  
 166 nec gens victricem nesciet ulla manum.  
 167 Catholicus, tua signa, crucem venerabitur orbis,  
 168 et feret auctrices ad tua facta manus.  
 169 Aeternum crux imperium tibi proferet ultra  
 170 Colchidas, et saevos Marte Boristhenidas.  
 171 Post ubi jam totus magnum Septentrio Christum  
 172 coeperit, Aurorae subdita regna petes.  
 173 Romanis tua signa Aquilis praeceuntibus ibis,  
 174 perque tuam statues oppida victa crucem.  
 175 Cuncta Sigismundo cedent felicia Regi,  
 176 et nullum frustra suscipietur onus.  
 177 Teutonicae accedet favor, et nova gloria gentis,  
 178 largiri imperium cui volet illa potest.  
 179 Ergo crucem releva, quae nunc rubigine squallet  
 180 oblita, sic Regum par tibi nullus erit.  
 181 Sic tua continuis dilatans Regna triumphis,  
 182 Sarmatico populos solus in orbe regas.

AD MUTIANUM RUFUM EPISTOLA PRUSSIAE DESCRIPTIONEM CONTINENS.

S1\_2 v.1 Mittit ab aequoreo tibi litore, Rufe, salutem,  
 2 Hesus amicitiae pars modo justa tuae.  
 3 Hinc ubi Parrhasium vicinior aspicit axem  
 4 Prussia, Hyperboreo semiperusta gelu.  
 5 Hinc ubi Sarmaticum latus aequoris alluit orbem,  
 6 quod de Germanis nunc quoque nomen habet.  
 7 Hic tuus ille Hesus vivit, quem saepe probabas,  
 8 ludere ad auratam verba canora chelym.  
 9 Qui licet et tantis et tot regionibus absit,  
 10 numquam non praesens est tamen ille tibi.  
 11 Nam duo quae ratio distantia corpora fecit,  
 12 haec animos vinclo proximioe ligat.

13 Et loca si nullum simul in diversa feratur  
14 corpus, ad hoc animum vincula nulla ligant.  
15 Liber ut est, partes ita se dimittit in omnes,  
16 quo nil mobilius maximus orbis habet.  
17 Non mare, non terrae, non astra, nec igneus aether,  
18 clauditur huic, penetrat corpora, numen habet.  
19 Numen habet si se partem de semine caeli,  
20 inclusam lutea sentiat esse domo.  
21 Sentit, et ex istis ad te spatiatur arenis,  
22 pars eadem nostri maxima, quando libet.  
23 Ergo et adhuc animo non deficiente valemus,  
24 Fortunae dominae cetera credidimus.  
25 Vivimus hic igitur non retroeuntibus astris,  
26 uno te nobis posse carere grave est.  
27 Omnia praestiterit si te fortuna mihique  
28 Barbara quae visa est patria terra foret.  
29 Haec est Christiferae regio Crucis ultima cultrix.  
30 Praeter quam merito Livo comose tenes.  
31 Regna dein servant pharetrati proxima Russi,  
32 gens fera, sed nigrae saepe subacta cruci.  
33 Prussia et insignis magno Livonia Christo,  
34 sunt duo Teutonicae subdita regna cruci.  
35 Parte orientalem qua Prussia vergit in Eurum,  
36 Livonum gentes, et Lituana jacent.  
37 Proxima nimborum quae flatibus irrigat auster,  
38 Mazovita et fortis rura Polonus arat.  
39 Occiduum Saxones habent latus unde remugit  
40 hirsutus Boreas Balthica stagna tenent.  
41 Prussia tam latas terrarum possidet oras,  
42 incluta, plena, potens, cultibus aere, manu.  
43 Hanc cruce signatus nigra pallaque nivali,  
44 Teutonicus partem sanguine miles habet.  
45 Scit vagus et magno fluvio par Vistula Rheno,  
46 sanguine quem totum subrubuisse ferunt.  
47 Vistula Pannoniis oriens e montibus, omnem hanc  
48 quam longa est, terram perluit amne vago.  
49 Inde vago lapsu magnum se condit in aequor,  
50 quod variis totam flexibus ambit humum.  
51 Hic etiam vario naturae munere laetus,  
52 omnibus ad victum rebus abundet ager.  
53 Dum sinit et melior cum sole revertitur annus,  
54 has Cererem terras incoluisse putes.  
55 Usque adeo plenis hos messibus aggravat agros,  
56 ut queat hoc credi copia nata loco.  
57 Horrea saepe suo non sunt satis ampla colono,  
58 lataque vix messis frugibus arva patent.  
59 Est mare laudatae lucrosam munere gemmae,  
60 Germanus glessum, succina Roma vocat.  
61 Saepius hanc puerique legunt timidaeque puellae,  
62 nec stupet a prima pes tamen udus aqua.  
63 Est mare, sunt fluvii, sunt stagna immensa, lacusque  
64 non magis est vario pisce superba Pharos.  
65 Sunt et apum pulchris tenerarum examina silvis,  
66 qualia vix umquam Sicelis Hybla tulit.  
67 Saepe illis, res mira, loci satis esse negatur,  
68 quo dulces possint accumulare favos.  
69 Saepe sub arboribus mollique in graminis herba,  
70 flava laborifero poplite mella locant.

71 Conferat huc Rhodopen Panchaeaque rura Lyaeus,  
 72 nesciet inventos se docuisse favos.  
 73 Sunt nemora et saltus, sunt non deformia Tempe  
 74 Thessala cum fluvio dixeris esse suo.  
 75 Pinguibus alta feris stabula et venatio dives,  
 76 Maenalon oderit hic ipsa Diana suum,  
 77 hic poteras spreta juvenis, Thesee, noverca,  
 78 innocuos alio claudere fine dies.  
 79 Quid loquar ingentem pecorum vim, qualia numquam  
 80 armenta Arcadico germine pasta liquet,  
 81 qualia non umquam colles videre Lycaei,  
 82 non quamvis dives, Delphice pastor, eras  
 83 major in argento nusquam nec largior usus,  
 84 vix tantum plumbi patria nostra tenet.  
 85 Pocula crassa Ceres Acheloia miscet aristis  
 86 hic bibitur nullo gratior orbe liquor,  
 87 advehit huc etiam peregrinis vector ab oris,  
 88 per mare cum Rhodiis Cretica musta cadis  
 89 denique ad humanos quicquid convertitur usus,  
 90 hic velut ex cornu liberiore fluit.  
 91 Sunt etiam praeclaras urbes opibusque superbae,  
 92 vix habet his, mirum, Teutonis ora pares.  
 93 In mare qua tacito demergitur Istula lapsu,  
 94 nobile Dantiscum litora prima tenet.  
 95 Classibus haec portus, domus incluta mercibus haec est  
 96 urbs maris imperii parte beata sui.  
 97 Altera divitiis Monsregius, hanc quoque ditat  
 98 in mare velifera Bregela versus aqua.  
 99 Haec modo militiae sedes est alta Magistri,  
 100 hoc in eo princeps ordine nomen habet.  
 101 Structuris domuum reliquas Thuronia vincit,  
 102 pulchra quidem sed non dives ut ante fuit.  
 103 Haec vetera excisae vestigia continet arcis,  
 104 quam vagus undanti Vistula lambit aqua.  
 105 Praeterea Albingum reliquas imitata ruinas,  
 106 eximium captae diruit arcis opus.  
 107 Hinc Mariaeburgum quondam domus incluta magnis  
 108 principibus, nullo crimine facta nocens.  
 109 Sed tamen infelix regi data serva Polono,  
 110 cum reliquis misere sed sine labe jacet.  
 111 Ubere laeta solo Noganum sita propter amoenum,  
 112 exstructa in terris non habet arce parem.  
 113 Non procul inde meis Riseburgum nobile Musis,  
 114 arx vetus in parvo condita colle jacet.  
 115 Omnia quis referat ? Sed et haec quae pauca canebam  
 116 vix ea sunt minima parte relata mihi.  
 117 Vivit in his igitur baculo qui primus agresti,  
 118 Teutona Romanum duxit in arva gregem.  
 119 At tu, Rufe, meae formator prime juventae,  
 120 per te vocalis debita fama lyrae.  
 121 Quid facit amisso grex errabunda magistro ?  
 122 Quam timeo saevos, monstra cruenta lupos ?  
 123 Quid facit is merito cui pagina nostra dicata est  
 124 hei mihi quam praeceps nostra carina fuit.  
 125 Quid mihi mentito Phileremus nomine dictus ?  
 126 Cessit ? An in sacra valle moratur adhuc ?  
 127 Quid Crotus ingenio plus quam florente beatus ?  
 128 Haerens principibus quid Spalatinus agit ?

129 Nobilis hunc animum Petrei cura relinquet,  
 130 cum flammae glaciem, cum dabit unda faces.  
 131 Vivite, deliciae nostrae, dum vester amicus  
 132 longius a vobis quam decuisset abest.  
 133 Qui tamen ut vultis vivitque valetque videtque  
 134 quam non vobiscum vivere triste nihil.  
 135 Quem precor ut solita semper virtute colatis,  
 136 ipse sub hoc etiam sidere vester erit.

AD TEMONIUM AMANTEM. DE AMORE.

S1\_3 v.1 Quae tibi dum studiis tecum frueretur eisdem,  
 2 ad patriam lusit carmina multa chelym  
 3 quae tibi clavigeri visuro limen Iuli,  
 4 sic redeas ausa est dicere sicut abis.  
 5 Haec eadem optata te condicione potitum.  
 6 Musa fere criticis audet adire modis.  
 7 Excipe consueta residem pietate Thaliam,  
 8 temoni, et vacua quid ferat aure nota.  
 9 Quid velit, unde ferat properatam inopina salutem,  
 10 protinus ex ipsa fronte videre licet.  
 11 Quod si fronte minus patefacta, aut crine soluto,  
 12 esse tibi ex ipso nota colore potest.  
 13 Vestibus ingreditur Tyrium referentibus ostrum.  
 14 Qualis et in veste est talis in ore color,  
 15 nulla vides niveo rutilant gestamina collo,  
 16 nulla sub angusto pectore bulla tumet.  
 17 Cur tamen in dextra laurum quam fronte solebat ?  
 18 Cur gerit effusis myrtea sarta comis ?  
 19 Ad te cur aliquo comitata cupidine venit ?  
 20 Veste Venus posita sic tibi visa foret.  
 21 Quid sit amor carum venit instructura sodalem  
 22 qui sedet, et nullum sentit in igne malum.  
 23 Quid tibi cum Paphio castissima Pieris aestu ?  
 24 Turpe est virginibus dicere quid sit amor.  
 25 Non ita Temoni quid enim de virgine Musa,  
 26 quod de Vestali turpe referre putes ?  
 27 Illa Cytheriacos cum torqueremur ad aestus,  
 28 ignibus in mediis mite levamen erat.  
 29 Hessiaco legitur notissima Flavia versu  
 30 cum dolet, et vatem Musa dolere vetat.  
 31 Arsimus et tacitum, dii quam grave, sensimus ignem  
 32 per mala tot victor te duce Musa fui  
 33 illa meas flammam et vidit et ipsa secuta est.  
 34 Quid dubitas castam turpia posse loqui ?  
 35 Quis pudor est igitur ? Quid lumina contegis ? Aut quid  
 36 virgine te tacito conveniente rubes ?  
 37 Illa tibi insanum non exprobrat ante tribunal  
 38 per fora nec stricto publica fune trahit  
 39 opportuna diu quaesivit tempora, postquam  
 40 sunt data quae voluit, vult sine teste loqui.  
 41 Aeger es, heu, medicas vix jam sanande per artes  
 42 Dii faciant nequeas esse, fuisse queas.  
 43 Aeger es, an papulis ? An febribus ? Anne podagra ?  
 44 Quis dolor est ? Palles, hoc erat illud, amas  
 45 morbus is est novi quia te pallere videbam.  
 46 Quid precor est quare palleat omnis amans ?

47       Hac ego jamdudum laesum te peste notabam  
 48            taliam qui sensit vulnera nosse potest.  
 49       Sanus ad huc nullis constrictus legibus ibas  
 50            effreni licuit quolibet ire tibi  
 51       convenisse tuos poteras, si quando sodales  
 52            laetitia nemo te potiore fuit.  
 53       Arguit invictam facies tam florida mentem,  
 54            heu quantum compos desinis esse tui.  
 55       Vincula captivus coniectus in impia langues  
 56            victima placandos ut solet ante deos,  
 57       pectore mens abiit, color est mutatus in ore  
 58            vix tenuis restat spiritus ipse tibi  
 59       non tamen hic in te, speculo sed vivit in illo  
 60            in quo te vitam posse videre putas.  
 61       Victus es, et durae subiisti pondera legis  
 62            non licet, ut nuper, quolibet ire tibi  
 63       convenisse potes caros si quando sodales  
 64            tristitia nemo te potiore manet :  
 65       lumina demittis, suspiria longa frequentas,  
 66            multa sub obscura nubila fronte sedent.  
 67       Fallor, an expertum nequicquam intelligo amorem  
 68            non ita, signa sui talia praebet amor  
 69       pugil in hac annos aliquot jam versor arena  
 70            quam teris ah nimium nota palaestra mihi est  
 71       et licet hunc totis attraxeris ossibus ignem  
 72            altaque jam prima vulnera tabe fluant.  
 73       Ne tamen in saniem possint consurgere, perfer  
 74            auxiliatrices apposuisse manus,  
 75       sed prius ex alto morbi natura videnda est  
 76            saepe minus juste pharmaca sumpta nocent.  
 77       Flamma latens amor est, sapidumque per ossa venenum  
 78            tormentumque juvans, exitiumque placens  
 79       qui simul icta levi penetrarit corda sagitta,  
 80            quem tetigit memorem non sinit esse sui.  
 81       Hinc oblitus amans proprii vesanus honoris  
 82            esse sibi licitum dedecus omne putat  
 83       dumque exempla nequit votis per honesta potiri,  
 84            fraude intentatum nil sinit esse sua  
 85       Thuringae potius messis numerabis aristas  
 86            quam quot possideat crimina turpis amor  
 87       ut taceam gemitus, lacrimas, suspiria, curas  
 88            sollicitas noctes, sollicitosque dies,  
 89       num rationis agit puer hic obliviosa ? Et altos  
 90            a se ipsis animos degenerare docet  
 91       consilia evertit justum aversatur et odit,  
 92            exiguo magnas tempore perdit opes.  
 93       Sunt comites huic paupertas, infamia, morbi,  
 94            stultitia in prima sede pudenda sedet  
 95       mors quoque nonnumquam. Quis enim tot nescit amantum  
 96            saxa, ignes, laqueos, flumina, tela, cruces ?  
 97       Quae tu cum videas, et plura in amore, quid audes  
 98            in tam sollicita longius ire via ?  
 99       Est puer, at puerum quisquis devicit amorem  
 100            hic decus ex meritis Hercule majus habet,  
 101       nam quid erat vastum Nemea sub rupe leonem ?  
 102            Quid fuit acripedi praevaluisse ferae ?  
 103       Infernum traxisse canem ? Vicisse Draconem ?  
 104            Nubigenas clava perdomuisse viros ?



105 Cuncta quid ambitae superasse pericula terrae,  
 106 quem puer infami vulnere vicit amor.  
 107 Tu quoque cum superes reliquae ludibria sortis  
 108 turpiter imberbi victus ab hoste jaces  
 109 sentis ? An dubitas quam sis delapsus ab alto ?  
 110 Quam vel ab excelso trusus ad ima loco ?  
 111 Respicis ? An simulas summo loca proxima caelo ?  
 112 Hinc es ad infernae lapsus opaca domus  
 113 qualiter incautus dubia sub nocte viator  
 114 antra die claro non adeunda subit  
 115 sic te per Paphiae discrimina noctis euntem  
 116 materna arcitenens duxit in antra puer  
 117 praetulit exterius claram Venus aurea lucem,  
 118 nox intus nigro te tulit atra sinu,  
 119 at tibi luce solet nox clarior illa videri  
 120 et cuperes nullum rursus adire diem.  
 121 Sed furor hic tibi non furor est sed blanda voluptas  
 122 vulneraque ut doleas, te juvat ista pati  
 123 qualis cum miseris dementia mentibus adsit  
 124 dum calet hoc omnes igne perire juvat  
 125 omnes dicebam quot sunt in amore pusilli  
 126 ludus enim fortes non capit iste viros.  
 127 Fortis enim tenues stipulas ut flamma perurit.  
 128 Nec facili durus flectitur igne chalybs,  
 129 sic amor est timido muliebria pectora morsu  
 130 fortia non aliquo laedere dente potest ;  
 131 quoque magis credas pauca est narrare voluptas  
 132 est vetus, at multa fabula plena fide.  
 133 Liquerat Idalium volucris comitata puella  
 134 sacraque Pieridum venit in arva Venus,  
 135 constitit aereo Parnassi in vertice montis,  
 136 Musarum in viridi valle chorea fuit,  
 137 movit atrox pharetram prompturus tela Cupido  
 138 quem peteret mater dum rogat, ille refert :  
 139 "Vicimus his jaculis totumque subegimus orbem  
 140 in superos vires haec habuere Deos  
 141 movimus his manes dominumque coegimus Orci,  
 142 curribus insolitis ad nova furta vehi  
 143 sensit in aequoreo qui servat regna profundo,  
 144 aequoreaeque nurus, aeriumque genus  
 145 sola meas nondum sensit percussa sagittas  
 146 turba sub hoc ducens culmine laeta choros.  
 147 Nostra quidem steriles contemnunt spicula Musae,  
 148 heu quid in his nostrum languit imperium ?"  
 149 Tum Venus ex imo suspiria pectore ducens  
 150 "Tam quoque constantes aggrediamur" ait,  
 151 et simul aereo de culmine lapsa resedit  
 152 virginibus Musis taliter orsa loqui :  
 153 "Quid juvat usque adeo sterilem producere vitam  
 154 contemptrix nati turba novena mei ?  
 155 Marcet inutiliter sine me consumpta juvenus,  
 156 me duce quo melior germine fiat habet.  
 157 Aut igitur mea sacra pia celebrate sorores  
 158 aut meus haec vobis inferet arma puer."  
 159 Contra quam breviter fata est cui nomen amantis  
 160 sic jussit sacri Regia virgo chori  
 161 Marti tela Venus Marti Venus arma minare,  
 162 torpet, et inter nos non volat iste puer

163 Pierides castae castorum numina Vatum  
 164 turbaque bellipotens in tua regna sumus.  
 165 Palluit ut sperni vidit sua tela Cupido  
 166 quem Venus in patriam sustulit alma Paphum.  
 167 Nunc quoque se castis victum dolet esse puellis  
 168 vincere quem fortes non potuere Dei.  
 169 Tu vir es, et tales vidisti saepe puellas  
 170 nec tantum culta est Pieris una tibi  
 171 ecquid adhuc igitur tantis exercite sacris  
 172 ludicra non cessas ista profana sequi ?  
 173 Nec, quamvis poteras, audes vitare quod urget  
 174 passaue degeneri damna timore juvas.  
 175 Ceu puer ostensi pavidus terrore flagelli  
 176 concidit, et certum credit adesse mori  
 177 quo ruis ah duris operate laboribus olim ?  
 178 Tene levis mulier fortior una fuit ?  
 179 Frange truces laqueos, retinacem frange catenam  
 180 vincitum est fortem dedecus esse virum.  
 181 Quid retineris adhuc ? Quid ad huc non pessima frangis  
 182 vincula ? Fac fortes experiare manus  
 183 exue si quid habes quod non decet, indue quod te  
 184 esse hominem faciat, non sinat esse feram.  
 185 Cum brutis tibi communis fuit ista voluptas  
 186 quae precor ut noceat esse, fuisse juvet.  
 187 Carmina sic olim tibi nostra fidelius ibunt  
 188 si modo quod debes, carmina nostra probas  
 189 jam tibi quod longo voluisti tempore carmen  
 190 antidotum morbo misimus ecce tuo.  
 191 Quod si prisca manet sub pectore flamma calenti  
 192 jam virtus Musae vestra jacebit iners  
 193 vincere sed castae Venerem potuere Sorores  
 194 cum quateret castis tela minatus amor.  
 195 Et modo si solitae superant in carmine vires  
 196 fertis ab immiti rapta tropaea deo,  
 197 ite triumphali rediturae fronde Camenae  
 198 ite, fugam timidus jam meditatur amor !  
 199 At tu qui nimio doluisti perditus aestu  
 200 jam numquid quod ames displicet omne tibi ?  
 201 Vive decus vatisque tui fratrumque tuorum  
 202 atque hoc o utinam liber ab igne, vale.

AD ACHATIUM DE FORTUNA

S1\_4 v.1 Laus patriae, specimen rarae virtutis Ahati  
 2 reddita mi frater sunt tua scripta mihi ;  
 3 hoc etenim tu me veneraris nomine quamquam  
 4 non tibi sit vultus visa figura mei ;  
 5 sic etenim scribis, non viso mitto salutem,  
 6 si pateris fratri sed tamen Hesse meo.  
 7 Gratulor, oblatumque libens amplector amorem,  
 8 hic quoque virtutis pars habet ista locum.  
 9 Hanc quoque tu missam numquam mihi vise salutem,  
 10 fratris ab officio candide frater habe.  
 11 Scribis ut annorum nondum sub mole labascens,  
 12 floreat aetatis gratia verna tuae.  
 13 Hoc injusta tamen tempus sub pondera cogi  
 14 curarum, quae vix cana senecta ferat.

15 Me quoque grata suo vernans in flore juvena,  
16 quam cuperem curis pluribus involuit.  
17 Ut tu prima teris sexti vestigia lustris,  
18 nam tua sic de te littera testis habet.  
19 Sic mihi stat plenis ter septima messibus aestas,  
20 et quintam incipimus vivere Olympiada.  
21 Sic nos paene pares spatium facit utilis aevi,  
22 cetera fortunae plus rationis habent.  
23 Ad studia accedunt animi communia nostri,  
24 Palladia est nobis unus in arce locus.  
25 Haec faciunt ut te si quid fortuna lacessat,  
26 de cumulo credam deperiisse meo.  
27 Conqueritur siquidem pro te tua littera nobis,  
28 te nimis ingrata condicione premi.  
29 Parce queri, non ergo tibi fortuna maligna est,  
30 si verso ostendit pectore terga tibi.  
31 Insidet instabili fortuna volubilis orbi,  
32 et nigra tectum sindone lumen habet.  
33 Passibus incertis et in haec et in illa vagatur,  
34 nec minimum constans temporis esse potest.  
35 Tam fovet indignos quam dignos deprimit, errat  
36 non videt, errorem quo tueatur habet.  
37 Dejecit elatos, dejectos tollit in altum,  
38 pessima saepe bonis, optima saepe malis.  
39 Nulli fida diu, nulli constanter amica,  
40 nunc prius osa cupit, nunc adamata fugit.  
41 Ludit et ostentat vires lasciva potentes,  
42 utque oculo orbata est, sic ratione caret.  
43 Spernere fortunam dubiaequae resistere sorti  
44 praecipua haec virtus, hoc sapientis opus.  
45 Disce reluctantes rerum sufferre procellas,  
46 quod fers perpetuum non erit illud onus.  
47 Quoque per adversum vadas patientius aequor,  
48 crede aliquem multo deteriora pati.  
49 Non ita te fortuna gradu deturbat ab alto,  
50 ut loca non iterum tangere celsa queas.  
51 Sisne vir attentat, deductam vellicat aurem.  
52 Admonet, et memorem te jubet esse tui.  
53 Tristia ferre docet duro te posse flagello,  
54 dum favet, et fida est, non inimica tibi.  
55 Nulla quidem miseris virtus obnoxia rebus,  
56 casibus humanis cum sapiente nihil.  
57 Ridebat modici cultor Democritus horti,  
58 tam bona quam volucris tristia facta Deae.  
59 Tu quoque ridebis fatuae ludibria sortis,  
60 non cadit in vanos mens generosa metus.  
61 Mens generosa polos ultra volat, ultima mundi  
62 transilit, ex ista dicitur orta domo.  
63 Semine caelesti sata mens caelestia quaerit  
64 semina, terrenum cogitat illa nihil.  
65 Haec res humanas pereunti comparat umbrae,  
66 et bullae scopulos percutientis aquae.  
67 Despiciit et scopulos miseraequae pericula vitae,  
68 pertimuit fati nullius illa minas.  
69 Pendet ab aeterno cunctarum principe rerum,  
70 et quoties laedunt infera, summa petit.  
71 Illic tuta, hominum sordes ita respicit istas,  
72 ex illa rursus nolit ut arce trahi.

73 Perlegis haec animi mordaces passe tumultus,  
 74 et mala adhuc dubitas quantulacumque pati ?  
 75 Non dubitas, quid enim dubitet qui saepe malorum  
 76 speret mutatas posse redire vices ?  
 77 Hoc te consiliis decuit prudentibus usum,  
 78 hoc ut agas numquam desine, victor eris.  
 79 Ipse ego qui calamo primus rude carmen agresti,  
 80 Teutonicis lusi temporibusque meis.  
 81 Cujus habet scriptos Germania tota libellos,  
 82 gloria nam sola est illa relictā mihi.  
 83 Fatis jactatus variis per mille labores  
 84 volvor, ut in medio gurgite quassa ratis.  
 85 Nondum quem volui licuit contingere portum,  
 86 errat adhuc dubia nostra phaselus aqua.  
 87 Omnia cum sorti cedant, sperare relictum est,  
 88 per mala spes animos ad meliora levat.  
 89 Sperandum est, bona speratis meliora dabuntur,  
 90 desperet quisquis non putat esse Deum.  
 91 Accusare igitur fortunam parce, nec illi  
 92 imperii certa solvere jura sui.  
 93 Regnat regnabitque potens animosa virago,  
 94 omnibus invictos fulminat ante duces.  
 95 Fulminet, insurgat, ludat, lasciviat, erret.  
 96 Sit Dea, nos illam novimus esse nihil.  
 97 Si quid erit tamen, est rerum mutabilis ordo,  
 98 diversas caelo sufficiente vices.  
 99 Vive igitur, non sunt elegi majora sueti,  
 100 per non praevisas pondera ferre vias.  
 101 En tibi pro parvo non parvum epigrammate carmen,  
 102 exspecto numquid tu quoque nostra probes.

TEMONIO ROMAM ABEUNTI.

S1\_5 v.1 Ibis Romuleos, Temoni care, penates,  
 2 o utinam tantae sim comes ipse viae.  
 3 Vade bono auspicio terras visure beatas,  
 4 linque Lycaoniae subdita regna ferae.  
 5 Assiduo peragra gaudentes Marte Polonos,  
 6 et pete Mysnaeae proxima rura plagae.  
 7 Inde tuae patriae circumsita moenia transi,  
 8 quae Thuringa sinu divite servat humus.  
 9 Ingredere audaces, Baccho loca consita, Francos,  
 10 hospitium fesso Norica rura dabunt.  
 11 Vindelici excipient bello gens clara Suevi,  
 12 quique Athesim circum Rhaetica rura colunt.  
 13 Quae loca sollicito peragras dum singula passu,  
 14 qua debes Hessum respice mente tuum.  
 15 Illum namque aliqua sine te vix parte quietum,  
 16 frigida Sarmaticis detinet ursa plagis.  
 17 Jam mihi per Scythicasque nives, et frigora ponti,  
 18 jam tecum est saevos impetus ire Getas.  
 19 Scilicet et Romam sine me Tiberimque videbis,  
 20 et Capitolini diruta templa Jovis.  
 21 Quaeque referre mora est tantam spectanda per urbem  
 22 sed loca praeteritum non habitura decus.  
 23 Vade tamen, quoniam sic te fortuna volentem  
 24 versat, et a nobis tam procul ire jubet.

25 Vade Tridentinas arces, Athesimque superbum  
 26 trajice, et Adriaci regna Leonis adi.  
 27 Ausonias urbes ex ordine quamque saluta,  
 28 quaecumque est aliquo nobilis ingenio  
 29 magna, tuo salve major Verona Catullo,  
 30 Plinius hic cunas unus et alter habet.  
 31 Nescio si Venetos jubeam salvare penates,  
 32 caede deos faciles non habet iste locus.  
 33 Dic tamen auspicio sed prosperiore valete,  
 34 nullus in hoc iterum fulminet orbe Deus.  
 35 Inde ubi contigeris Thebanae culmina Mantus,  
 36 submisso geminum poplite flecte genu.  
 37 Hic volat astriferum sublimis ab aethera Cygnus,  
 38 hic sedet Andinas Tityrus inter oves.  
 39 Salve parva domo, meritorum maxima cultu,  
 40 Mantua praesentes digna videre Deos,  
 41 si libet ire potes perjuri Antenoris urbem,  
 42 hic tibi dum properas sit mora longa cave.  
 43 Nam cladem Veneti nunc sentit et ipsa Leonis,  
 44 quassaque Teutonici fulminis igne jacet.  
 45 Aspicias alias nostri non immemor urbes,  
 46 et meus hic dices Hesus adesse volet.  
 47 Post exacta viae gravioris taedia, postquam  
 48 paene satis mediam videris Italiam.  
 49 Aspice Romuleos septem miracula colles,  
 50 celsaque Martigena moenia structa manu.  
 51 Vade caput mundi Romam, loca sacra, saluta,  
 52 illic summa tui meta laboris erit.  
 53 Salve terrarum domitrix, patrio aemula caelo,  
 54 heu tamen, heu, opibus perdita Roma tuis.  
 55 Protinus aspicias saeculi monumenta vetusti,  
 56 hei, qualis prisco tempore Roma fuit.  
 57 Caesareas arces Capitolinumque videbis,  
 58 forte litum multo pulvere stare Jovem.  
 59 Enumerare piget quae tu mirabere, quando  
 60 lustrabis celebres cautus in urbe locos.  
 61 Vadis et, heu, nostro jam non retineris amore,  
 62 dii faciant dextro sidere semper eas.  
 63 Quaeque iterum referent nobis te fata precabor,  
 64 sic referant illo tempore, sicut abis.

AD BONAEMILIUM, NON AMARE SE PUELLAM CUJUS EUM INSIMULAVERAT.

S1\_6 v.1 Laese Cupidinea jam non semel arte Georgi,  
 2 me quoque nunc aliquod vulnus habere putas  
 3 unde habeam ? Quis me feriat ? Quibus appetat armis ?  
 4 Quis mihi non merito tam ferus esse volet ?  
 5 Captus es, aiebas, laqueoque revinctus amoris,  
 6 non hoc expertum posse latere puta.  
 7 Namque quid assidui gemitus et crebra puellae  
 8 unius, et nimium mentio grata tibi ?  
 9 Secreti tandem in latebras quid ab urbe recessus ?  
 10 Quid rogo cum sola virgine semper abes ?  
 11 Quid rogo quod tota nemo jam nescit in urbe ?  
 12 Non hoc expertum posse latere puta.  
 13 Scimus et experto credendum in amore putamus :  
 14 mens tamen est testis verior ipsa sibi.

15 Parce comes, vitaeque precor pars altera, nostri  
 16 non ego sum Paphia pectora laesus acu.  
 17 Flavia Sarmaticas numquam descendit in oras,  
 18 illa meas flammam abstulit, illa tenet.  
 19 Non tamen est ratio cur non ego rursus amarem,  
 20 si, quod amem, tellus praebeat ista mihi.  
 21 Sed quod in has animum demittam Phyllidas, erras,  
 22 pectora non telum quodlibet ista ferit.  
 23 Quam mihi tu memoras, quam me causaris amare,  
 24 hei mihi, quam docto luditur ista dolo.  
 25 Quamvis, ut fatear, non sic hostiliter odi  
 26 Phyllida, ut hanc nobis quamlibet esse velim.  
 27 Namque meo infelix ut amore fideliter ardet,  
 28 non titulum fraudis debet habere meae.  
 29 Si qua etenim sacro dicatur amata poetae,  
 30 libatae pretium virginitatis habet.  
 31 Non capit invictum timidissima dama leonem,  
 32 non tenet immitem parva capella lupum.  
 33 Si qua placere volet placeat cui convenit illa,  
 34 nos caelo vates proxima turba sumus.  
 35 Parce igitur tali succensum credere flamma,  
 36 qui jam molliculus desinit esse puer.

AD JOANNEM DANTISCUM SECRETARIUM REGIUM.

S1\_7 v.1 Quae properata tuas mihi pertulit hora Camenas  
 2 haec eadem, ut cernis, reddidit ista tibi.  
 3 Nam mihi vix spatium quo respondere pararem,  
 4 et calamo digitos applicuisse fuit.  
 5 Sed fuerit properata licet tua musa, putares.  
 6 Conatam melius non potuisse coli,  
 7 nulla Venus Phrygia formosior esset in Ida,  
 8 nulla vel in patrio flumine lota Dryas.  
 9 Excelsa virides lauros in fronte gerebat,  
 10 vincebant Paphias lumina bina faces.  
 11 Fratrabant niveo teretes in pectore mammae :  
 12 o etiam magnis nympha petenda Deis.  
 13 Quo tamen implicitos odiosa methaphora nodos ?  
 14 Quid jacis incertos stridula musa sonos ?  
 15 Tam mihi visa decens, tam vivida, tamque diserta,  
 16 in subito excussis est tua musa modis.  
 17 Talia qui scribit subito dictata furore,  
 18 qualia legitimo tempore scripta dabit ?  
 19 Cedo libens, istoque tibi certamine palmam  
 20 offero, laus Musae quantulacumque meae est.  
 21 Nos canimus magno victricia júbila Christo,  
 22 ut cogunt vites humida prela novas.  
 23 Quod tamen haec scribis subito fluxisse calore,  
 24 plus quoque quam credi quod potuisset erat.  
 25 Libera Musa animos a carmine sumit, et audet  
 26 contrahere in parvas tempora longa moras.  
 27 Sed tamen ista tuae fuerit sua gloria Musae,  
 28 plus merito certe carmina nostra probas.  
 29 Sum tuus aeternoque tibi devinctus amore,  
 30 pro quo perpetuo tu quoque noster eris :  
 31 quod petis ut veniam conviva rogatus, habeto  
 32 quod pro me reddit littera nostra tibi,

33 si potero rebus non impredientibus istis  
 34 me quibus implicitum cura molesta premit.  
 35 Principe si demum vacuo spirare licebit  
 36 ad cenam venio, dulcis amice, tuam ;  
 37 sed venio, quid enim tibi non concesserit Hessus,  
 38 parca modo cenae pars volet esse meae  
 39 non Venerem, non vina peto, satis ipse superque  
 40 sufficis in partes has nihil adde, precor,  
 41 si tamen adfuerint Venus et cornutus Iacchus  
 42 accedet nostro gratia tota choro.  
 43 Hoc tamen accipies dictum ratione pudica  
 44 nequitia a versu debet abesse meo.  
 45 Vive vale, et placida properatam fronte Thalam  
 46 accipe, sic tecum quem petis hospes erit.

AD EUMDEM DANTISCUM

S1\_8 v.1 Legimus hesterna ductas tibi luce Camenas  
 2 pauca, sed aeternum carmina digna legi.  
 3 Nostra tamen sero tibi quod responsa leguntur  
 4 est eadem nobis quae tibi causa fuit :  
 5 scribis ut hesterno nimium madefactus Iaccho  
 6 Cyclopas capiti credis inesse tuo.  
 7 Credibile est, nec enim novitas haec rara poetis  
 8 quos fovet in molli gratia blanda sinu.  
 9 Sicut enim genio reliquis meliore beati  
 10 sic etiam vita liberiore sumus  
 11 praecipue si quando choro convenimus uno  
 12 luxuriat blandis gratia picta jocis.  
 13 Tunc nullos critica trutinamus fronte Platonas,  
 14 tunc procul invisus cogitur ire Timon.  
 15 Sed Veneri, et Musis facile indulgemus, et illi  
 16 qui capiti fecit pondera tanta tuo.  
 17 Tunc Venus Idaeis circumdata floribus ultro  
 18 aspirat pictis nuda cupidinibus.  
 19 Tunc quoque se nobis talem manifesta fatetur  
 20 qualis ad Anchisen dicitur isse suum.  
 21 Latior hic solito pulcher bona cornua Bacchus  
 22 sauciat infuso pectora nostra mero  
 23 saucia concipiunt genialem pectora flammam  
 24 urget in assuetos ebria Musa sales.  
 25 Natura hinc surgunt subiti dictante lepores  
 26 innumeri risus, innumerique joci.  
 27 Quocirca nihil est quod vel mirere gravari,  
 28 vel metuas Hesso non placuisse tuo.  
 29 Vina animos ut mane gravant, ita vespere tollunt  
 30 Laetitiamque omnem frigide somne fugas.  
 31 Omnia quae fueras Hesso praesente locutus  
 32 ne dubita in partem suscipit ille bonam.  
 33 Atque utinam quidam non deteriora loquantur  
 34 qui mihi nescio quo jure nocere student :  
 35 quos, ubi me nequeunt justo comprehendere morsu  
 36 non tamen injusta pendere lance pudet.  
 37 Tu vero celebres inter numerande poetas  
 38 scripta probas Hessi qualiacumque tui.  
 39 Et quoniam nostras laudas, Dantisce, Camenas  
 40 te propriis dignum laudibus esse doces.

41 Ergo te merito nostrorum inscripsimus albo  
42 ultimus a primis ne videare. Vale.

TREBELIO POETAE UT PARET CONVIVIUM

S1\_9 v.1 Jam novus illunes dimovit Lucifer umbras  
2 et nitida totam luce colorat humum.  
3 Milia per frondes avium nova carmina cantant,  
4 Jam legit humentes uda puella rosas  
5 ad sua mortales redeunt opera, orta que Phoebi  
6 lumina sollicitis conspiciunt animis,  
7 lauta para non pulveribus condita Sabaeis  
8 prandia, non Siculas pontificumve dapes.  
9 Auricomus medium cum sol ascenderit orbem  
10 et brevis ex omni facta erit umbra loco.  
11 Ecce tuas venio conviva injussus ad aedes :  
12 spargito virginibus musica strata rosis.  
13 Formosae mecum Veneres tua tecta subibunt  
14 non quales vel Eryx vel tenet alta Paphus,  
15 sed quales Heliconve colit sanctusve Cytheron  
16 quas male contingi laurea casta vetat.  
17 Hae nec edunt epulas, nec vina liquentia potant,  
18 efficiunt saturas verba levesque joci,  
19 ridicula addideris mendacia protinus omnes  
20 insana quatient tympana rapta manu.  
21 Oscula libabunt non qualia Cypris Adoni,  
22 sed quale Endymion frigida Luna tibi  
23 qualia Ati Phrygio divum dedit oscula mater,  
24 mater in Idaeis cognita diva jugis.  
25 Tu modo, Pierias numquam fugiture sorores  
26 ex nostro vates non abiture choro  
27 non supra caro duo fercula pone sodali  
28 sintque ea lauta velim quam pretiosa magis  
29 non ego condito ficus in jure natantes.  
30 Nec moror ardenti Myrrhina rubra croco,  
31 non etiam Scythico volucrem de Phaside missam,  
32 non etiam clunes, advena turde, tuas :  
33 ista juvent quibus est signatae gloria frontis  
34 quos exacta sui pascit opella gregis  
35 nos humiles gula non vexet lascivior aequo  
36 luceat exiguo nostra culina foco.

IN POETAM QUENDAM

QUI PRO CHRISTO PHOEBUM IN CARMINE INVOCANDUM SCRIPSERAT.

S1\_10 v.1 Cum nova Sarmatici canerem connubia Regis  
2 vix bene praecipiti carmina ducta manu,  
3 frivola mendacis rejeci numina Phoebi  
4 inque meo primus carmine Christus erat.  
5 Legerat hoc quidam divini nominis hostis  
6 et falso dixit nomina vatis habes  
7 vatibus aspirat victura poemata Phoebus  
8 sordet et est Christo gratia nulla tuo.  
9 O furiis vox digna, tuo dignissima Phoebus,  
10 quid rogo Christicolam dicere pejus erat ?  
11 Vanane ? Pro veris Phoebine ego numen adorem ?



12 Num ferar ingratus, maxime Christe, tibi ?  
 13 Cujus et hoc habeo praeter tot milia munus,  
 14 quod mihi non tantum vena maligna fluit.  
 15 Prisca Deos coluit lapides et ligna vetustas  
 16 et tot ficticios nil nisi monstra Joves.  
 17 Numina Christigenae docti meliora poetae  
 18 imbuimus trino carmina nostra Deo :  
 19 est Deus in nobis, non qualem Naso canebat  
 20 Christo non Phoebos pectora nostra calent.  
 21 Est Pluto in vobis agitante calescitis illo  
 22 sedibus infernis spiritus iste venit  
 23 sed tamen est ratio cur Phoebum agnoscere possis  
 24 et Musas dicas carminis esse duces,  
 25 non ut honore Deo, non ut virtutibus aequas,  
 26 non ut adorandum numen habere putes :  
 27 Musae, Mercurius, Phoebus, Pan, Liber, Apollo  
 28 nomina sunt uni contribuenda Deo.  
 29 Ludere nominibus licuit semperque licebit  
 30 credere nequaquam numen habere licet ;  
 31 sed quis in hac adeo tecum certarit arena  
 32 confossus jaculo concidis ipse tuo.  
 33 Tu tamen insidiis mecum congressisse, fateri  
 34 non audes nomen vane poeta tuum,  
 35 et cum me versu plus quam frigente lacesas  
 36 in numero vatuum vis tamen esse miser.  
 37 Nunc, age, responde, nunc te mihi perge fateri,  
 38 in vivis aliquod si modo nomen habes :  
 39 an metuis quem sic contempseris, anne timendus  
 40 qui nihil argutum concinit esse potest ?  
 41 Denique si solus satis est in carmina Phoebus  
 42 qui potuit Phoebus cedere, Christe, tibi ?  
 43 Phoebus magister ades te Marsia provocat, alter  
 44 ecce tibi haec etiam dilanianda cutis.  
 45 Non igitur vates triviali cede poetae :  
 46 sume age pro Phoebus fortiter arma tuo.  
 47 Non ego secreto tecum luctabor in antro,  
 48 sed doctos tecum stabimus ante viros.  
 49 Tu Phoebi tripodas, nos Christi signa feremus,  
 50 partaque victori gloria munus erit.

## AD STURNUM POETAM

S1\_11 v.1 Sturme, Latinorum consors non ultime vatuum  
 2 carmina Pieria clangere docte chely  
 3 blandior et Paphiis genio spirante columbis  
 4 et quo nec moriens dulcior esset olor,  
 5 gratulor hoc primum quod te patriaeque lyraeque  
 6 consortem dederit Christus Apollo mihi.  
 7 Inde quod obtigerit tanto placuisse poetae  
 8 Teutona qui Latiis fontibus arva rigat,  
 9 quod mihi par studium te conjunxisset fateris,  
 10 causa pari nobis convenit ista modo.  
 11 Scilicet unus amor vatuum, Deus unus, et unum  
 12 quod studium caelo nos docet esse satos.  
 13 Quae tamen ex aequa mihi carmina scribis amussi,  
 14 non nihil immistum disparitatis habent.  
 15 Namque quid usque adeo musam mihi subjicis istam

16           teque gradu nobis inferiore locas ?  
 17       Sicut anas Aquilam, Phoebaeum passer olorem,  
 18           ut fatuo cedit Daulias ales Iti.  
 19       Sic ego te supero, sic te post terga relinquo  
 20           o celebris titulo gloria parta meo.  
 21       Sed placet hoc vestro quod me dignaris in albo  
 22           atque aliquid tantae sortis habere putas.  
 23       At tuus exiguis fidibus quam grandia pulsat  
 24           plectra ? Quibus numeris tantus Apollo sonat ?  
 25       Sed puto legisti, qui se abjicit ille resurget,  
 26           qui se sustulerit rursus ad ima cadet.  
 27       Hoc ita si reputas, non erras, scilicet ista  
 28           ad superos itur non potiore via.  
 29       Sed quod amicitiam nostram te vincere scribis,  
 30           nescio qua dictum condicione putem :  
 31       si quia tu vates prior es concedimus istuc,  
 32           si quod amas vinclo proximio, nego.  
 33       Semper enim sacros colui ceu numina vates  
 34           tantus in hoc vatium pectore flagrat amor.  
 35       Sidera conversis prius omnia legibus ibunt,  
 36           quique modo est oriens, hic modo vesper erit,  
 37       tota prius solitum cursum natura negabit,  
 38           uno convenient ignis et unda loco,  
 39       quam nequeam toto venerari pectore vates  
 40           quos levat ad superas musica vita domos.  
 41       Ergo ego te vatem quo primum tempore vidi  
 42           per Musas tacite deveneratus eram  
 43       teque salutatum volui misisse, sed illam  
 44           causa voluntatem quae prohiberet erat.  
 45       Ergo age nostrarum patriaeque lyraeque sodalis,  
 46           fer, precor, officium non valuisse meum :  
 47       sic mihi qui cecinit vocalis carmina Sturnus  
 48           luscinae dicam vincere saepe melos.

#### AD AMICUM CUR VOCETUR HELIUS

S1\_12   v.1       Helius unde meum veniat praenomen in usum  
           2           indicio quaeris certior esse meo.  
           3       Accipe ne quicquam frustra petiisse queraris  
           4           dispeream possum si qua negare tibi :  
           5       Helius Argivum, sol est sermone Latino  
           6           Helius est quisquis numina solis amat.  
           7       Quid mage conveniens vati quam nomina Solis  
           8           quem vocat et sentit musica turba patrem ?  
           9       Nomine majestas Solis non finit in uno,  
          10           conveniunt uni nomina plura Deo.  
          11       Quippe idem Sol, Mercurius, Mars, Liber, Apollo  
          12           creditur, et signis pluribus esse liquet.  
          13       Ille regit vates, divinum inspirat amorem,  
          14           Solis ab influxu spiritus iste venit.  
          15       Et nisi divini fallunt oracla Platonis,  
          16           esse nequit vates quem fugit ille Deus.  
          17       Quin etiam si nullus ero et sine numine vates,  
          18           Helius est certe qua ratione vocer.  
          19       Sol mihi nascenti primo praeluxit ab ortu,  
          20           et quae prima mihi, Phoebi erat illa dies.  
          21       Grata Deo Soli Lyra tunc fulgebat in astris,

22 natali primum surgere visa meo.  
 23 Jam ter quinque ierant a nato saecula Christo,  
 24 annos deme tamen cum tribus inde decem.  
 25 Non ego falsa loquor, vertentem consule mundum,  
 26 sacra dies Jani Regibus illa fuit.  
 27 Has tibi de multis placuit conscribere causas,  
 28 quas veras certe nominis hujus habes.  
 29 Quas ipsas aliquo tamen olim carmine dixi,  
 30 cujus cum nequeas ultima, prima vides.  
 31 Haec siquidem superant, perierunt illa, quod olim  
 32 sparserat incauta stulta juventa manu.

## II

### HELII EOBANI HESSI SILVARUM LIBER SECUNDUS.

#### AD SENATUM ERPHURDIENSEM PRO INSTAURANDA SCHOLA COLLAPSA EXHORTATIO.

S2\_1 v.1 Saepe graves dubiis nutarunt casibus urbes,  
 2 quassataeque domus nec cecidere tamen.  
 3 Languida saepe suae rediere in corpora vires,  
 4 saepe salus praeter spem recidiva venit.  
 5 Quod si tam libeat quam possumus ista probare,  
 6 quem dabis exemplis nostra Thalia modum ?  
 7 Quidve peregrinis cumulare domestica prodest,  
 8 nulla magis laeso quam sua plaga dolet.  
 9 Ipsa suas et regna vices, et tempora mutant,  
 10 quis vetet hac urbes condicione trahi ?  
 11 Rebus in humanis ludit, lascivit, et errat,  
 12 nixa volubilibus lubrica Diva rotis.  
 13 Atque ita nobiscum vires experta potentes,  
 14 qua modo spirabat blandior aura fuit.  
 15 Incluta jam nimis Erphurdia fracta procellis,  
 16 sorte videbatur commodiore frui.  
 17 Jam velut optatum spectabat naufraga portum,  
 18 innumerabilibus fluctibus icta ratis.  
 19 Horridus incubuit Boreas, et nubilus Auster,  
 20 tempestas subitam condidit atra diem.  
 21 Parce tamen dubiis involvere vera, tuoque  
 22 quae canis, Uranie, carmina more cane.  
 23 Vos quibus est commissa salus, et cura tuendae  
 24 hujus ut emineant, quam loquor, urbis opes.  
 25 Consiliis quorum veterem Respublica casum  
 26 sarcit, et utilibus damna priora levat.  
 27 Conscriptique Patres lectique sacerque senatus,  
 28 res mihi vobiscum est, vos mea verba petunt.  
 29 Debuit hoc etiam vestris accedere fati,  
 30 hujus ut occideret maximus urbis honor.

31 Ut velut e manibus majorum tradita vobis,  
32 eriperent aliae commoda vestra manus.  
33 Ut quam tot proavi volverunt dotibus auctam,  
34 vos maneant vestrae damna pudenda scholae,  
35 qua quantum multos Erphurdia floreat annos,  
36 utraque jam Phoebi Regia scire potest.  
37 Quae nunc aegra suae florem periisse juventae,  
38 maeret honoratum pulvere sparsa caput.  
39 Quippe jacent studia, ingeniis laus omnis adempta est  
40 non est ingenuis artibus ullus honor.  
41 Sed velut indoctae sint facta opprobria plebi,  
42 dicuntur sacris esse venena libris.  
43 Atque adeo nusquam magis haec sentina malorum,  
44 non alibi pestis foedius ista furit.  
45 Non sat erat veteres rerum vidisse ruinas ?  
46 Non tamquam patriae composuisse rogam ?  
47 Non satis exstinctae cineres legisse, novamque  
48 ceu de relliquiis constituisse suis ?  
49 Hoc nisi triste malum vos invasisset, et omni  
50 parte laborantes depopulasset opes.  
51 Qua tamen haec culpa, quorumque venire querendum est  
52 quae mala nunc vestri causa doloris erant.  
53 Non mala vis hominum, non vestra incuria patres,  
54 non aliqua caelum pestilitate nocens.  
55 Non neglectus honor studiorum, aut improbus ordo,  
56 vis alia accepti vulneris auctor erit.  
57 Nuper ut adseruit Christo sua signa Lutherus,  
58 Romanique tulit frivola regna patris.  
59 Jamque satis populum multi doctique docerent,  
60 quorum clara patent nomina mille locis.  
61 Irrepserere novis studiorum fraudibus hostes,  
62 turba satis ficta simplicitate potens.  
63 Qui quoniam studiis nihil insumpsere laboris,  
64 nec nisi barbarica garrulitate valent.  
65 Hactenus abjecti miserum et sine nomine vulgus,  
66 inscitiae in poenam delituere suae.  
67 Nunc quaerendi aliquos, ceu nacti tempus, honores  
68 artibus indicunt bella nefanda bonis.  
69 Invenere etiam qui non modo coepta probarent,  
70 verum etiam auxiliis prosequerentur opus.  
71 Nam quis non videat studiis eademque professis,  
72 maxima pars populi quam sit amica parum.  
73 Opportuna malis ergo ignorantia vulgi,  
74 huic fomenta igni materiamque dedit.  
75 Qui quia tam late est in proxima quaeque vagatus,  
76 nequaquam exstingui qualibet arte potest.  
77 Vestro opus auxilio, vobis ea cura relicta est,  
78 sitque utinam, certe debuit esse Patres.  
79 Aspice ut jaceant istae sine honoribus artes,  
80 maxima quae vobis gloria nuper erant.  
81 Ut taceam vestrae quantas invexerit urbi,  
82 divitias hujus prodiga fama scholae.  
83 Hoc dicam, vos nulla magis commercia rerum,  
84 gentibus externis conciliasse liquet.  
85 Vera magis Pythii non sunt oracula Phoebi,  
86 quam mea verba aliquam vix habitura fidem.  
87 Quam late, quam longa patet Germania, nusquam  
88 fama obscura scholae nominis hujus erat.

89 Namque omni circum confluit ab orbe juvenus,  
90 ceu data pacificae pignora amicitiae.  
91 Quae cum divitias multos hucusque per annos  
92 intulerit multas, extulit inde nihil.  
93 Permutatio opum cives exhaurit et urbem,  
94 saepeque res vanis mercibus empta perit.  
95 Haec minime fallunt, haec certa negotia cives  
96 pauperie, nullo fenore facta, levant.  
97 Adde quod et studiis Respublica floret, at illis  
98 si careat, florem non habet illa suum.  
99 Quae nunc vana animos dementia fregit, ut essent  
100 quorundam fallax qui sequerentur iter ?  
101 Inde quid ? Invidiae ? Fraudes, discordia, sectae,  
102 falsaque libertas, et simulata fides.  
103 Multa referre piget, puduit quoque talia, verum  
104 me studiorum isthaec scribere jussit amor.  
105 Nec voluit pius ista seri documenta Lutherus,  
106 sed quid agat ? Pondus grandius ille tulit,  
107 non potuit levibus leges praescribere linguis  
108 quae gravibus propria sponte venire solent.  
109 Illum aliis curis exercuit area Christi,  
110 horrea multiplici dum sacra messe gravat  
111 vester hic ergo labor, vestrum hoc opus, urbis honorem  
112 quam colitis, prompta restituisse manu  
113 quod facile est studiis ab iniqua clade redemptis  
114 reddere, praedones quod rapuere, decus.  
115 Ergo agite adscriptique Patres et lecte Senatus  
116 vestrae convulsas adserite urbis opes  
117 reddite, quem studii ferus abstulit hostis honorem,  
118 reddite labentis prodita regna scholae.  
119 Inter tot pudeat mala, et haec ludibria passos  
120 quae vix simplicitas debuit ulla pati.  
121 Errorum populi pudeat fraudisque malorum,  
122 sit satis armatas non habuisse manus,  
123 sit satis ista palam scelerum licuisse ministris.  
124 Jam libeat nugis imposuisse modum  
125 et quod oves decuit pro munere sanguinis emptas  
126 ex omni urgentes parte cavete lupos.  
127 Neu populi sanctos incauta licentia mores  
128 exuat, et falso libera pejus amet,  
129 incluta neve scholae pereuntis gloria cesset  
130 hic ego per superos vos monuisse velim  
131 quoque modo id fiat non est grave dicere, verum  
132 velle, satis magni ponderis instar habet.  
133 Velle prius liqueat, tum qua ratione resurgat  
134 in promptu est miserae dicere fama scholae.  
135 Vester honos agitur, vestrum decus, omnia vobis  
136 scribimus haec, vobis consilia ista damus.  
137 Ipse licet vestrae vix sim quota portio plebis  
138 ferre aliquid poterit pars quota forsans opis.  
139 Consilia exiguae modo ne contemnite Musae  
140 saepe etiam magnos parva juvare solent ;  
141 quod si forte scholae sortem casumque doletis  
142 hanc velut e tenebris vos revocasse canam.

## IN EBRIETATEM.

S2\_2 v.1 Nuper ut humanos Arete respexit ad usus  
 2 jussa loco viciis cedere, liquit humum.  
 3 Quae simul ac terris supera attigit alta relictis  
 4 irrepsit scelerum pestis et omne genus.  
 5 Et ne forte iterum mortalibus influat, omnis  
 6 ad terram, reditus qua sit, adempta via est.  
 7 Namque ducem contra fortem Rex misit Averni  
 8 illa est, si nomen quaeritis, Ebrietas.  
 9 Castra loco posuit quo non habitatior alter  
 10 olim virtuti caelitibusque fuit.  
 11 Sed neque degeneres adeo consedit ad Indos  
 12 extulit ad Numidas nec sua signa vagos :  
 13 in medio Europae sedem stabilivit, et armis  
 14 Teutones invictos illius arma premunt.  
 15 Orbis enim postquam fortissima mollibus armis  
 16 occupat, hostiles non timet inde manus,  
 17 et quamvis aliis quoque gentibus imperet, illam  
 18 nulla tamen studio sedulioze colit.  
 19 Illa adeo nostrum pestis sibi subdidit orbem  
 20 ut gerat arbitrio publica quaeque suo.  
 21 Quandoquidem, heu, nimium non est opus indice et istis  
 22 temporibus constet notius esse nihil.  
 23 Quin etiam accessit vitioso gloria mori  
 24 peccatoque boni nomine venit honor,  
 25 venit honor vitio, virtus jacet, otia regnant  
 26 mollia, dum ventri vivimus atque gulae.  
 27 Improbata dum nimio facimus convivia luxu  
 28 inque malos mores prodiga turba sumus ;  
 29 languit omnis honor studiorum militie  
 30 armaque dura prius mollia facta jacent :  
 31 saevior hac numquam pestis, nec atrocior hostis  
 32 Teutona victrici venit in arva manu.  
 33 Non adeo nostras Romana potentia vires  
 34 fregit, mille licet miserit illa duces  
 35 quod non mille duces plures potuere per annos,  
 36 continuis perdit cladibus ista lues,  
 37 ut taceam famae qualem denigret honorem.  
 38 Hei mihi, quantum animis corporibusque nocet  
 39 ingenii exhaurit vires, animique vigorem,  
 40 sique quid est clari luminis omne rapit.  
 41 Corporis enervat robur, succumque juventae  
 42 exprimit, ut vites humida prela novas.  
 43 Omne decus formae perimit, sugitque colores,  
 44 larvarum similes vultibus esse facit.  
 45 Inde tot aerumnae male sani corporis, inde  
 46 tot laedunt stomachum, tot nocumenta caput,  
 47 inde manus tremulae, pallor, timor, anxia mentis  
 48 condicio, et numquam tuta animi requies.  
 49 Hinc matutinas exhalant ora mephytes  
 50 deformat putres pendula bucca genas,  
 51 hinc semper gravibus stillantia lumina guttis,  
 52 hinc ruga et scabie semper arata cutis,  
 53 hinc male consistens titubantis inertia linguae  
 54 verbaque inaudaci semilocuta sono,  
 55 nocturna infestant furiales tempora somni  
 56 et lemorum miscent Eumenidumque choris.

57 Horrida saepe etiam huic comes est epilepsia morbo  
 58 quaeque cito in mortem membra apoplexis agit :  
 59 vidi ego non paucos maniam traxisse molestam  
 60 e tam deformi luctificaque lue.  
 61 Atque aliae innumerae, quis enim comprehendere possit  
 62 quot moveat pestes tam Camerina nocens ?  
 63 Quid referam quantis animam post fata ruinis,  
 64 quamque gravet poenis intolerabilibus ?  
 65 Tot vitiorum etenim genitrix, tot causa malorum,  
 66 toxica pestifera seminat atra manu :  
 67 jurgia, furta, doli, fraudes, injuria, caedes,  
 68 incestus, stuprum, raptus, adulterium,  
 69 fastus, avarities, luxus, gula, livor et ira,  
 70 pigrities (ista sunt sata jacta manu  
 71 probra) nefas, rixas, discordia, bella, rapinas,  
 72 semina si nescis illius esse scias ;  
 73 at poterat Veneris tolerari blanda voluptas  
 74 illius et forsan cura futura fuit  
 75 triste malum hoc postquam radices altius egit  
 76 quo magis evulsum est, hoc magis haeret humo.  
 77 Adde quod illa animos ita conficit improba pestis  
 78 ut nihil egregium praecipuumque petant.  
 79 Sed velut Asphalti mens tacta bitumine stagni  
 80 langueat, et miseris defluat aegra modis :  
 81 tum carpit stupidos demens vecordia sensus,  
 82 tum spes destituunt, et ferit ossa pavor,  
 83 flamma velut nebula fumi compressa residit,  
 84 ebria mens proprio munere cassa jacet.  
 85 Non opus aeratas armare in bella cohortes  
 86 victa jacet vitio Teutonis ora suo.  
 87 En victrix nostras ut Asotia possidet urbes  
 88 et miseros cogit jura superba pati,  
 89 quem semel ut nostris pellamus finibus hostem,  
 90 sit pudor in tantum degenerasse nefas.  
 91 Omnibus invictos nostri vicere parentes :  
 92 nunc vitia haec nobis vincere nostra grave est  
 93 orbis victorem populum discordia vicit,  
 94 nos nisi vicisset, vicimus, ebrietas.  
 95 O quibus est igitur juvenili in corpore robur  
 96 et solidae vires, ingeniumque viget.  
 97 Spernite degeneri convivium perdita luxu  
 98 sit medium, et constans inter utrumque modus.  
 99 Nam semper sapere et mensas odisse jocosas  
 100 id pecus est brutum vivere, non hominem.

#### COMPARATIO VENERIS ET BACCHI

S2\_3 v.1 Si te forte juvat tentare cupidinis artes  
 2 et Veneri longam solvere militiam,  
 3 illuvies Bacchi nimias ad Bactra relega :  
 4 multa fugant Venerem pocula, rara juvant.  
 5 Nam tolerabilior Venus est hoc blanda Lyaeo,  
 6 quod minus ingeniis corporibusque nocet.  
 7 Ipsa dat ingenuos mores, corrumpit Iacchus  
 8 haec animi vires instruit, ille necat.  
 9 Munditiam custodit amor, temulentia sordes  
 10 invehit, haec formam destruit, ille facit.

11 Verum si quis erit qui spernere possit utrumque  
12 hunc caelo dignum pectus habere puta.

AD AMICI CUJUSDAM LITERAS LAUDATORIAS RESPONSIIO.

S2\_4 v.1 Si tamen, ut memoras, numquam rescripsit Ulyxi  
2 gaudia Penelope quanta fuisse putas ?  
3 Ille pererratis multorum finibus exsul  
4 destituit viduam bis duo lustra domum  
5 uxor amans thalamo curis exhausta pudico  
6 instantes docta reppulit arte procos.  
7 Jamque fatigatae florem positura juventae  
8 conspexit reducis reddita signa viri.  
9 Laetitiam illius si tu metiris ab illo  
10 quod mea pauxillum Musa locuta tibi est,  
11 vel nimis indulges quo me veneraris honori,  
12 vel tibi plus aequo carmina nostra placent,  
13 quicquid id est, utrumque animum testatur amicum  
14 certaue non ficti signa favoris habet.  
15 Hestia, quam laudas, quot habet pecorosa capellas,  
16 tot grates debet nostra Camena tibi.  
17 Patria nec forti multum tua distat ab Hesso,  
18 vicina est patriae Saxonis ora meae.  
19 Incluta divitiis tellus, operosa metallis,  
20 uberis insignis fertilitate soli.  
21 Plena viris, ducibusque potens, animosa Tyrannis,  
22 Caesaribus quondam facta beata suis.  
23 At duri mediis habitant in montibus Hessi  
24 qua Lanus, et vitreas Aedera volvit aquas,  
25 gens armis generosa, manu promptissima, quondam  
26 ipsa suo partis docta labore frui.  
27 Parte alia glebis fecunda patentibus arvis,  
28 qua rapidus pingues Fulda salutata agros :  
29 collibus apricis, et amoenis incluta silvis,  
30 omnia perspicuis fontibus arva scatent.  
31 Mille per irriguas labuntur flumina valles  
32 florida perpetuo gramine vernat humus.  
33 Quis queat errantes illic numerare capellas  
34 cornigerumque pecus, lanigerumque gregem ?  
35 Cum redit atque aestas vernantes explicat herbas,  
36 non aliquam pingit gratia major humum  
37 tunc neque Thessalicis Peneus amoenior arvis  
38 nec prior Hessiacis montibus Haemus erit  
39 pulchra nihil Siculae viridaria dixeris Aetnae ;  
40 arvaque quae vitrea lambit Helorus aqua  
41 illis te errantem credo vidisse Dianam  
42 montibus, et castam sollicitasse deam  
43 cum Satyris illic mammosae Naiades errant  
44 Hessiacum Phyllis non colit una nemus.  
45 Illic saepe latens tenera occultatus in herba  
46 excepi artificii dulcia furta dolo  
47 Aonioque rudes turbabam carmine Faunos  
48 concessit Musis rustica turba meis.  
49 Tum mea silvestres petierunt carmina nymphae,  
50 ipse ego pro grato carmine tela dedi.  
51 Tu quoque degentes vidisti in montibus Hessos  
52 et laudas patriae saxea rura meae :



53 hujus tanta tibi debetur gratia laudis,  
54 quanta tu laudas carmina nostra fide.

D. GEORGIO STURTIADAE MEDICO VENETIIS AGENTI.

S2\_5 v.1 Gratulor incolumem vitam tibi, docte Georgi,  
2 hoc tibi tam longe vivere dulce queror.  
3 Praecipue nec dum portum tenuisse petitum,  
4 et tua adhuc dubio currere vela mari.  
5 Hoc ego fortuna timui variante futurum,  
6 quo ruere in praeceps tempore cuncta vide.  
7 Quo bello Europam varioque ardere tumultu,  
8 praecipue loca quae tu petiturus eras.  
9 Ipsum paene rapi quo tempore conspicias orbem,  
10 in studia, heu, aliquem vix habitura modum.  
11 Non tamen illa animi virtus generosa fefellit,  
12 quae tibi fortuna contigit uberior.  
13 Laudo animum rebus natum melioribus, et se  
14 audentem aetherea credere stirpe satum.  
15 In cauli tamen est in aperta pericula ferri,  
16 qualibus hi superant saecula prisca dies.  
17 Jam tibi tranquillam sedem fortuna locabat,  
18 jam poteras partis rebus honore frui.  
19 Nec tibi divitiae virtutum praemia deerant,  
20 larga tibi justas copia fudit opes.  
21 Cum variis multas vidisti moribus urbes,  
22 inque tuo sedit Pallas amata sinu.  
23 Incluta te dignas Erphurdia praebuit aedes,  
24 namque loco patriae jam fuit illa tibi.  
25 Ambibas titulos majoraque praemia famae,  
26 res est pulchra quidem dignaque laude vehi.  
27 Cur tamen hanc per tot terrarum emensa petebas  
28 milia, cum posses emeruisse domi.  
29 Nostra tot eximias Germania possidet urbes,  
30 quae superent ipsos Pallade Cecropidas.  
31 Nescio quam placuit meliorem invisere gentem,  
32 Dii rogo fortunent hoc tibi propositum :  
33 ut cito de Veneto solvat tua litore puppis,  
34 ut redeas tuto dum tibi forte licet.  
35 Et tecum solita Cordum pietate reducas,  
36 consortem patrii nominis atque lyrae.  
37 Hunc mihi praecipue multa venerare salute.  
38 Et memorem carae conjugis esse jube.  
39 Vivite deliciae nostrae, vos ille reducat,  
40 virgine qui solus natus Apollo dea est.

HEREBORDO MARGARITANO OB HONORES GRATULATORIA.

S2\_6 v.1 Ut merito quantumque tibi debere fatetur,  
2 in reditu gestit nostra Camena tuo.  
3 Redditus en iterum patriis feliciter oris,  
4 spes tecum nostras vir memorande refers.  
5 Gratulor incolumi sortem cessisse benignam,  
6 addita virtuti praemia justa tuae.  
7 Quod neque Vindelicis Augusta Palatia campis,  
8 visave sint frustra Norica rura tibi.

9 Scilicet est aliquid longinquas visere terras,  
 10 nomen ab externo clarius orbe venit.  
 11 Si doctas numquam Pomponius isset Athenas,  
 12 tam bona non illi Roma futura fuit.  
 13 Colchida Tauridamas si non adisset Iason,  
 14 Phasias in patria nulla tulisset opem.  
 15 Quid memorem Alciden ? Qui tot nisi monstra tulisset,  
 16 in patria poterat delituisse sua.  
 17 Detrahit optati praesentia semper honori,  
 18 perpetuoque domi nemo placere potest.  
 19 Et quamvis tua magna domi sit et incluta virtus,  
 20 plus tamen ex merito debuit esse tibi.  
 21 Jam tibi detulerat te dignos patria honores,  
 22 jam fueras domui gloria prima tuae.  
 23 Castra dein sequeris dum Caesaris Aemiliani,  
 24 legatique domo munere functus abes.  
 25 Virtutis tibi facta tuae est clarissima testis,  
 26 Noridos urbs clarae Teutonidumque caput.  
 27 Namque ut magnanimo generosam in pectore mentem  
 28 vidit fortunae dotibus esse parem,  
 29 gratificari aliquo dum vult tibi munere, dignum  
 30 connubio civis iudicat esse suae.  
 31 Atque ita patricio natam de sanguine jungit,  
 32 proxima quae thalamos est initura tuos.  
 33 Eia Hymenaeae fave, nunc te majore vocamus  
 34 auspicio, plena nunc face dexter ades.  
 35 Linque Palaepaphios ignes Citheraea, tuoque  
 36 ad nos cum puero blanda favensque veni.  
 37 Tu vero o nostrae bona pars Hereborde Thaliae,  
 38 pectore non humili fortia regna subi.  
 39 Nos quibus hoc superum pietas Musaeque dederunt,  
 40 devoti vates in tua jura sumus.  
 41 Nos tibi per Musas Hymeneia sacra canemus,  
 42 carmine vivetis nuptaque virque meo.  
 43 Inde nec ipse tuo Peleus certabit honori,  
 44 te nec erit pulchro carmine Stella prior.

AD BARTHOLOMAEUM GOTIUM THRAISENSEM.

S2\_7 v.1 Musarum patriaeque, comes venerande, mearum,  
 2 maxima pars animi, Bartholomaeae, mei.  
 3 Vivere te superaue frui feliciter aura,  
 4 pectoris est certe cura secunda mei.  
 5 Quamvis exciderit fidi tibi cura sodalis,  
 6 Di faciant falsa suspicione trahar.  
 7 Sol spatium emensus tropicum semel inter utrumque est  
 8 unica vix de te littera lecta mihi est.  
 9 Multa sed Hessiaca tibi venit epistola dextrae,  
 10 non aliquo lapsa est crimine nostra fides.  
 11 Perstat, et ut nullos umquam decepit amicos  
 12 sic est perpetuo firma futura tibi.  
 13 At potes, et debes culpa excusare, quod olim  
 14 non est ad veniam janua clausa tibi.  
 15 Longa via est spatiumque ingens patet inter utrumque  
 16 istaque vix rarus regna viator adit.  
 17 Non poteris alicui scriptas committere chartas,  
 18 vix paucis tuto sarcina tanta datur.

19 Et scriptas forsā misisti saepe lituras,  
 20 ire sed in vultus non potuere meos.  
 21 Ah ! Pereant per quos umquam data scripta premuntur,  
 22 perfidiae poenas quas meruere luant.  
 23 Credibile est, nec enim tam debes fallere amicum,  
 24 quam dederas nobis non violasse fidem.  
 25 Si caderet mores tam nobilis error in istos,  
 26 hei mihi, quem fucum tam bona forma capit.  
 27 Praeterea studiis animo sociatus honestis,  
 28 qui posses tanti criminis esse nocens ?  
 29 Virtutes studia assumunt meliora sodales,  
 30 esse nec hae solae, sola nec illa queunt.  
 31 Perfidia studiisque nihil disjunctius usquam,  
 32 aut fuit aut ullo tempore forsā erit.  
 33 Tene igitur violasse fidem, carissime, dicam ?  
 34 A potius linguam non habuisse velim.  
 35 Hanc in te potius vellem defendere culpam,  
 36 si modo, quod non est, hac agerere nocens.  
 37 Qui nunc Sarmaticis, carissime frater, in oris,  
 38 frigida Parrhasio regna sub axe colis.  
 39 Discors Teutonicum qua Prussia terminat orbem  
 40 et Codonaea brevi litore stagna capit.  
 41 His ego te terris fato volventerelictum,  
 42 Dii faciant vivum rursus ut inveniam.  
 43 At me laeta fovet felici Mysna receptu,  
 44 qua jacet herboso Lypsis amoena solo.  
 45 Hic ego nec bifidi perplexa aenigmata juris,  
 46 nec sequor ambages, magne Galene, tuas.  
 47 Sed sacra musarum Phoebique aeterna professus  
 48 numina, sed quorum nomina Christus amet.  
 49 Scis qualem dicique velim fierique poetam,  
 50 Non mea sunt falsis ebria corda deis.  
 51 Sunt tamen hic qui me satis admirentur amentque,  
 52 multorumque frequens Hesus honore color.  
 53 Tu quid agas, quae fata feras, quaeque otia tractes,  
 54 ac tua me doceant tempore scripta brevi.

D. GEORGIO STURTIADAE UT KALENDAS JANUARIII CELEBRET.

S2\_8 v.1 Musarum Phoebique potens et, amice Georgi  
 2 Sturtiade nostra saepe canende chely.  
 3 Pande fores, deprome penu, distende culinam,  
 4 frondibus exorna limina, Janus adest.  
 5 Ecce tibi auspiciis aperit felicibus annum,  
 6 lapsus ab aetherea claviger arce deus.  
 7 Pande fores, iterumque penu deprome, culinam  
 8 instrue, frugales non amat iste deus.  
 9 Janus adest faustumque tibi denuntiat annum,  
 10 accipe promissa nuntia certa fide.  
 11 Aucte bonis, augende bonis, aucture tuorum  
 12 nomina, rem, titulos, stemmata, facta, decus.  
 13 Qui studiis medicas auges vigilantibus artes  
 14 et merita ex ipsis nomina rebus habes.  
 15 Perge, nec inceptum remoretur inertia cursum  
 16 ulla, tuum praesens gloria sternit iter.  
 17 Indulsit fortuna tuae satis aequa juventae  
 18 nec juvenem nec te deseret ista virum.

19 Nondum impleverunt septem tibi lustra sorores  
 20 et tuus in medio pulvere sudat equus.  
 21 Divitiis flores, et quae fecisse beatum  
 22 virtutes poterant quas libet unus habes  
 23 has in flore virens aevi nec inutilis uxor  
 24 uno te, dotes, conjuge digna, polit :  
 25 quae nunc eximia faciet te prole parentem  
 26 cui feret auctrices lucida diva manus.  
 27 Cetera quae restant permittite faventibus astris :  
 28 jam tibi Divorum Regia tota favet.  
 29 Sic deus ille tibi cecinit, me vate, biformis  
 30 pluraque conantem quaerere deseruit.  
 31 Ipse tibi subito misi perarata libello  
 32 ut legeres ipsi vaticinata Deo.

GEORGIO PECTIO VORCHEMIO SUO WITTENBERGAM ABEUNTI.

S2\_9 v.1 Tu quoque non aequo currentibus ordine fati  
 2 deseris heu vacuae nomen inane scholae  
 3 Quo fugis infractae fidei mihi cognite Pecti ?  
 4 Tam subitae facta est quae tibi causa viae ?  
 5 Quae mihi nunc aderunt sine te solacia ? Quorum  
 6 tam certa potero laetior esse fide ?  
 7 Unus eras certe quo non abeunte manebam,  
 8 qui migraturum sisteret unus eras.  
 9 Quem vel ad anguigeras Libyae ferventis arenas,  
 10 quem cuperem fuscum per Garamanta sequi.  
 11 Nunc utinam nigros isset fera pestis ad Indos,  
 12 quam vereor subitae causa sit illa viae.  
 13 Si tamen invidiae cedis, fidentior ito,  
 14 virtutem pestis vincere nulla potest.  
 15 Illud ut interea rumpatur 'ethosion achthos'  
 16 qua nunc coepisti currere perge via.  
 17 Perge salutatum pro me quos noris amicos,  
 18 quos inter Jonas nomina primus habet.  
 19 Ipsum praecipue : Musarum dona Philippum  
 20 salva sit et Phacchi barba gravisque fides.  
 21 Tene ego praeteream lyrici decus ordinis Hace  
 22 Hace prius potero non meminisse mei.  
 23 At tu vade bonis avibus, carissime Pecti,  
 24 subque tuo nostrum pectore nomen habe.  
 25 Interea quo tu pulchrum sudabis ad Albim,  
 26 hoc ego fortunae tempore ludus ero.

Les citations en grec, pour être scandables, ont été translittérées en caractères latins, encadrés de '...')

AD EURICIUM CORDUM DE CARMINIBUS A MURIBUS CORROSIS JOCUS.

S2\_10 v.1 Non adeo veteris celebrata poemata Codri,  
 2 quae mures opicos dilaniasse ferunt.  
 3 Quam tua corrosas vulgo plorantia chartas  
 4 nunc in Palladia carmina tuta domo.  
 5 Ipsa feros timidis objectat muribus angues  
 6 tu tamen hic ranas, Corde, fuisse putas.  
 7 Scripta momorderunt Thilum mordentia mures  
 8 illius hos genios daemones esse puta.  
 9 Carmine ridiculo risum movisse volebas :  
 10 lusit amabilibus seria Musa jocis

11 arva olim rapidi populabant Apula mures,  
 12 culta rudi cecidit milite victa Ceres.  
 13 Dicitur Hispanam fodisse cuniculus urbem :  
 14 quis genus hoc socium muribus esse neget ?  
 15 Thessala lucifugae straverunt moenia talpae  
 16 Gallia de ranis pertulit excidium.  
 17 Agricolas Libycae patria pepulere locustae  
 18 anguis Amyclaea victor in urbe fuit.  
 19 Quid Romana canam Baleares arma colonos  
 20 auxilia in mures ut petiisse ferant ?  
 21 Cum tua longe alio veniat querimonia luctu  
 22 justior ex quadam parte querela tua est :  
 23 jam didicere loqui mures, quis credere posset  
 24 esse aliquo vivum carmine Maeoniden ?  
 25 Quis tamen exprobret Hessiaco sua somnia Cordo ?  
 26 Queis queat Andinus vilior esse culex.

AD JONAM, INDIGNATUR QUOD SOLUTA ORATIONE QUAEDAM SCRIPSERIT.

S2\_11 v.1 Lege sua positis sat erat placuisse Camenis  
 2 quamque pedes melior forsitan habebat eques.  
 3 Nunc quoniam pudor est filo nevisse pedestri  
 4 indigno numeris verba coacta legi.  
 5 Quis deus afflavit lento mea pectora flatu ?  
 6 Quis mihi pro pennis lora rotasque dedit ?  
 7 Cum maria ac terras possem superare volando  
 8 ire laboranti cur pede visus eram ?  
 9 Sic ego, sic posita lauro, citharaque remissa  
 10 reddidit altivago qui movet axe diem.  
 11 Digne meis olim jam nunc indigne coronis  
 12 quin merito passum desinis, Hesse, queri.  
 13 An tu juridico tantum confidis Ionae ?  
 14 Jamdudum nobis perfidus ille fuit.  
 15 Musica deseruit plebeia castra secutus  
 16 tempore quo infelix excidit ipse sibi  
 17 vere suo melior quam tempore messis adultae,  
 18 autumnus veras non habiturus opes.  
 19 Hei mihi qualem hiemem. Sed si mea castra relinquant  
 20 divite cum Jona tu quoque dives eris.  
 21 Verum divitiae tam nostrae pluris habentur,  
 22 quam sit corporibus quaelibet umbra minor  
 23 quare age juridicis querere haec tua damna tribunis,  
 24 forte dabunt illi quam mea plectra magis.  
 25 Sic ille Aonii pater ordinis, at mihi blandum  
 26 nescio quis vestra risit ab arce Solon.  
 27 Ipse quoque ereptum paene indignatus honorem  
 28 abrupti irata plectra fidesque manu.

IN PRAELECTIONE VIRGILIANA.

S2\_12 v.1 Fama est aereis gelidi sub rupibus Hemi  
 2 Orphaeis celebrem manibus esse locum.  
 3 Frondoso suspensa tholo lyra pendet ab illo  
 4 tempore, quo caram perdidit Eurydicen.  
 5 Hanc quotiens aliquis plectro percussit eburno  
 6 frigidus immota constitit Hebrus aqua

7 culmina vidisse Rhodopes nutantia summi  
 8 saxa sequi, montes currere, stare feras.  
 9 Scilicet Elyseo vatem rediisse putarunt  
 10 nunc etiam superos velle movere Deos :  
 11 quid fecisse homines miracula ad tanta putandum est ?  
 12 An sensu solos hos caruisse putas ?  
 13 Nos meliora damus, majoraque plectra movemus.  
 14 Orphea Virgilio quis putat esse parem ?  
 15 Cujus blanda novem saltant ad plectra sorores,  
 16 gestit et uberibus gratia cincta rosis.  
 17 Pone sequebantur mirantes Orphea silvae  
 18 barbaricum cithara concinit ille melos.  
 19 Hic Latia verba alta tuba, mirandaque Musis  
 20 intonat, et caelo carmina digna canit.  
 21 Hunc nemo obstupeat ? Nemo hujus plectra sequatur ?  
 22 Hei mihi, quam nullum haec tempora pectus habent  
 23 quem non sacra trahat tanti facundia vatis  
 24 hunc natum silices inter et arma puta.

VOCAT AMICOS AD CONVIVIUM JOANNI GRONINGO SUO.

S2\_13 v.1 Crastina Phoebaeos ubi tertia contrahet ignes  
 2 jamque senescentem provehet hora diem.  
 3 Care, veni nostras, Groninge, rogatus in aedes  
 4 quo peream si quid dulcius esse potest.  
 5 Te mea non formosa quidem nec amabilis uxor  
 6 Penia convivam, sed generosa, rogat.  
 7 Ne contemne preces dominae tam justa rogantis :  
 8 o utinam famulae sit magis illa loco  
 9 illa tibi calido gelidos pro sumine ponet.  
 10 Sed tamen et castos et sine felle sales  
 11 implebunt vacuas vocalia carmina lances  
 12 fallet inexemptam stridula chorda famem  
 13 lauta ministrabunt praesentes fercula Musae  
 14 qualia cum superis Juppiter esse volet.  
 15 Fundet odoriferos genialis gratia flores  
 16 plena ministrabit pocula castus amor  
 17 talia si possis conviviam spernere dicam  
 18 laetitiae veram non habuisse famem.  
 19 Quod si vera voles, et debes velle, fateri  
 20 ex istis dapibus vita beata venit.  
 21 Ingenium vis multa cibi suffocat et aufert,  
 22 appositam mortem luxuria omnis habet.  
 23 Quare age ne modicae spernas elementa culinae :  
 24 saepe etiam Divis viscera tosta placent.  
 25 Ipse quidem melius cenasse fatebere numquam,  
 26 si non sorduerint prandia nostra tibi.  
 27 Ventriculum referes validi vectoris egentem  
 28 versibus et verbis si potes esse satur.

JOANNI ECCILIO SUO

S2\_14 v.1 I, puer Eccilio, sed nostra voce, salutem  
 2 dic prius, inde ipsi talia verba refer.  
 3 Cras ubi solis equi prono temone ferentur  
 4 tertiaque occiduum duxerit hora diem.

5 Hessiacas conviva veni, sic jussit, ad aedes  
 6 o palatinas non habiture dapes.  
 7 Si tamen officium fidi spectabis amici,  
 8 cenabis melius Regibus et Ducibus.

MARCO SUO.

S2\_15 v.1 Pauperis officium si non contemnis amici  
 2 et modico pastus vivere, Marce, potes.  
 3 Cras ubi Phoebus aquas stabit subiturus Iberas  
 4 tertiaque instantem traxerit umbra notam.  
 5 Hospes ad Hessiacos gratus diverte penates  
 6 qui variis nectunt florea sertas rosas.  
 7 Convivae tibi erunt Divae tres, una, novemque  
 8 fercula tot numero non habiture, vale.

MARTINO HUMO SUO

S2\_16 v.1 Hospes ad Hessiaca regalia prandia mensae  
 2 cras tibi praescriptis legibus, Hunc, veni.  
 3 Tertia cum Phoebum denuntiat hora cadentem,  
 4 ne quid edas toto tempore neve bibas.  
 5 Ut dapibus possis plenas absumere lances  
 6 et toto calices evacuare mero.  
 7 Quod si forte times ne solus ad ista voceris,  
 8 rite famem tecum duxeris atque sitim.

JOANNI DRACONI SUO

S2\_17 v.1 Cum medium caeli Sol aspirabit ad axem  
 2 signiferique umbras traxerit hora decem,  
 3 accedas nostras conviva rogatus ad aedes  
 4 dulcis et ante alios non metuende Draco.  
 5 Prandia si quaeras tenui ponenda culinae  
 6 accipe, Pythagoras qualia mandat edi.  
 7 Et nos contenti scis qualibus esse solemus  
 8 qui colimus sacrum sobria turba nemus.  
 9 Lautam tamen si non regali instructa paratu  
 10 prandia si cupias et potes esse veni.

IN EDITIONE HYMNI PASCHALIS.

S2\_18 v.1 Musa iterum variata novo te nostra salutat  
 2 carmine Musarum quisquis amicus ades.  
 3 Ecce renascentem variant sua sidera mundum  
 4 et variata novo gramine vernat humus.  
 5 Sacra resurgenti celebravimus orgia Christo  
 6 addidimus lyricae Sapphica plectra chely.  
 7 Praeterea adjectis quaedam variata parergis,  
 8 ut tibi diversum gratius esset opus.  
 9 Perlege, conveniunt nostrae cum tempore Musae  
 10 hoc quod te, dices, Hesse, decebat erat.

## IN DIVISIONEM APOSTOLORUM.

S2\_19 v.1 Vis populi clausit duodenas impia fratres,  
 2 vim populi veniens ignea lingua tulit.  
 3 Claudere non potuit bis sex Judaea planetas,  
 4 immo vagus non unus satis orbis erat.  
 5 Illorum immensum sonuerunt verba per orbem.  
 6 Qui solem pendens inter utrumque jacet.  
 7 Illorum hoc toti divisio profuit orbi  
 8 infera quod junxit climata cum superis.

## MICHAELI NOSSENO SUO, JOCATUR NON ESSE STUDENDUM.

S2\_20 v.1 Tota luce domi festa qui desidet, illi  
 2 anne aliquid vivi sanguinis esse putas ?  
 3 Praecipue stupidos inter mutosque libellos  
 4 nil agere est idem quos et amare labor.  
 5 Quo mihi namque leves aerumnosaeque Camenae  
 6 has propter tristis semper ut esse velim.  
 7 Imo abeant potius studiorum infausta supellex  
 8 turbaque victuris invidiosa libri.  
 9 Me juvet urbanis convivium libera dictis  
 10 spargere, fabellis nec posuisse modum.  
 11 Mollibus interdum caste assedis puellis,  
 12 et venerem rudibus conciliasse modis.  
 13 Quandoquidem superest quod vivimus una voluptas  
 14 fabula sunt manes et furiae, et nebulae.  
 15 Quare age curarum fomenta relinque libellos,  
 16 teque bonis natum dulcibus esse puta.  
 17 Vana superciliosorum ludibria pone,  
 18 pro lacrimis vinum, pro cruce sume rosas,  
 19 postmodo lugebis, nisi pares vera monenti,  
 20 qui de Mercurio principe nomen habes.

## IN FORIBUS GYMNASII.

S2\_21 v.1 Cur taceam tot Ephebe dies dulcissime quaeris,  
 2 quaeve Maroneum causa moretur opus.  
 3 Invida turbavit coeptum fortuna tenorem,  
 4 hoc satis est, alio tempore plura scies.  
 5 Non tamen objectae pulsatum mole procellae,  
 6 turbida fluctivagi subruet unda maris.  
 7 Cerberus et furiae quartam peperere sororem,  
 8 nuper in exitium perniciemque meam.  
 9 Hoc tibi si obscura dictum ratione videtur,  
 10 nil moror est quare tectior esse velim.  
 11 At tu ne dubita jacturam temporis hujus,  
 12 restituendam opera commodiore tibi,  
 13 perfer, et interea Muis operare Latinis,  
 14 quae tibi sunt studio tradita sacra meo.

## PETREIO APERBACCHO SUO.

S2\_22 v.1 Quaesitus tota, sed nusquam inventus, in urbe,  
 2 dic ubi, vel quare te latuisse putem ?



3 Dic age quid caris tam te furatur amicis,  
 4 rarior ut nulli non videare coli ?  
 5 Anne iterum veteri te Fulvia fune retraxit,  
 6 oblitum Romae Pieridumque chori ?  
 7 Ut tamen offensi redeat tibi gratia Regis,  
 8 post epulas mecum balnea nigra petas.

D. GEORGIO STURTIADAE AB ITALIA REVERSO.

S2\_23 v.1 Quae procul a patria nuper te Musa dolebat  
 2 cedere, num reditu gaudeat illa tuo ?  
 3 Gaudet, et hoc fieri versu testatur inepto  
 4 Itala jam sentis terra relictata tibi est.  
 5 Illic Pierides Musaea per oppida regnant,  
 6 numinibus tantis barbarata rura vacant.  
 7 Hic brevis alnosa sub arundine mussat Hieras,  
 8 si qua sit in putri nympha coaxat aqua.  
 9 Mincius, Eridanus, Ticinus, Padus, Adria, Tibris  
 10 nomina sunt ipsis proxima caelicolis.  
 11 Quare age Sturtiadum clarissima fama Georgi,  
 12 his te iterum nugis ut capiare para.  
 13 Quod si verba animi nequeant depingere vultus,  
 14 pro verbis animum dispice, gratus erit.

MICHAELI MEYENBURGO SCRIBAE NORTHUSANO SUO.

S2\_24 v.1 Quam tibi debueram totiens misisse salutem,  
 2 ne qui perferret falleret ipse tuli.  
 3 Candide Musarum comes et patrone Michael,  
 4 scriptane jam sentis cujus et unde legas ?  
 5 Hessus arenosi non ultimus accola Gherae,  
 6 paene suis manibus tradidit ista tibi.  
 7 Tam tibi praesentem Northusia tecta poetam,  
 8 quem forsant nobis exhibuisse puta.

GEORGIO SPALATINO SUO.

S2\_25 v.1 Maxima pars quondam nostrae, Spalatine, juventae,  
 2 o et adhuc animi maxima cura mei.  
 3 Hospes ad Albiorim tandem tuus appulit Hessus,  
 4 Hessus Hyperborea jam nive frigidior.  
 5 Namque quis arctoas tam longe abjectus in oras,  
 6 non aliquid caelo de graviore trahat.  
 7 Ergo age mi frater veterem visurus amicum,  
 8 vix quoque quae superant illius esse puta.

EURICIO CORDO SUO.

S2\_26 v.1 Hastato satis agricolae si, Corde, diali,  
 2 sacra peregristi relligione, veni.  
 3 Culmine ab aereo prospectum praebet amoenum  
 4 area clavigeri numine plena senis.  
 5 Inde racemiferos colles, flaventiaque arva,  
 6 laetaque graminibus prata videre licet.

7 Inde reidentis nymphaea rubentia silvae,  
 8 inde suburbanae cernere ruris opes.  
 9 Si minus ista juvant oculis lustrata, recessu  
 10 in vallem tacito non onerosa via est.  
 11 Corde, veni jam mane novo, jam sole recenti,  
 12 nescio quid solito blandius aura nitet.

IN MAESTAM VIRGINIS MATRIS IMAGINEM.

S2\_27 v.1 Quisquis habes Mariae fixos in imagine vultus,  
 2 est aliquid praeter verba quod inde legas.  
 3 Sic stetit illa videns morientis vulnera Christi,  
 4 heu, quali matrem foderat ense dolor.  
 5 Dicite mortali fecundae semine matres,  
 6 dicite de vobis talia siqua tulit.  
 7 Nulla tulit, nulla est aevo latura sequenti,  
 8 illa sed humani summa doloris erat.  
 9 Causa fuit peccasse hominem nato atque parenti,  
 10 quod volet haec mortem, quam tulit ille pati.  
 11 Et nihil huic ergo nihil illi ingrante rependis,  
 12 quorum supplicio vita redempta tua est ?

JOANNI CASSELIMANNO SUO.

S2\_28 v.1 Tu quoque Phoebaeos non ultimus inter olores,  
 2 musica praesenti numine plectra moves.  
 3 Gratulor applaudoque tuae carissime Musae,  
 4 qua duce tot versus Casselimanne facis.  
 5 Diva potens numeris ad nos ne sola veniret,  
 6 attulit Hessiaca munera facta manu.  
 7 Pocula fictilibus non inferiora cadescis,  
 8 Castalidum vitreis lucidiora vadis,  
 9 quae quia tam facile possunt fecisse disertum,  
 10 saepe racemigeno plena liquore bibam.  
 11 Cumque bibam dulces inter non fictus amicos,  
 12 qui potero studii non meminisse tui ?  
 13 Quare age ne dubita jam te quoque pectoris hujus  
 14 fixum non minimae partis habere locum,  
 15 non tam muneribus quia me donaris amicis,  
 16 quam quia nobiscum Musica regna colis,  
 17 macte animo, sic te decuit, quia Martia tales,  
 18 tamque bonos vates Hessia ferre solet.

CUR VOCETUR REX

S2\_29 v.1 Non ego crediderim citius prodisse poetam  
 2 quem sterilis raptum praedicat Ascra senem.  
 3 Quam mihi jamdudum Phoebeia signa ferenti,  
 4 venit adoptato nomine Regis honor.  
 5 Hoc tamen unde feram qua manet origine nomen,  
 6 stultum et ridiculum dicere paene fuit.  
 7 Scripsimus exiguo vulgata poemata versu,  
 8 scripta notis populo Lypsia clara dedit.  
 9 Legerat haec gentis Reuchlinus fama Suevae,  
 10 et dixit Regis nomen habere potes.

11 Inter enim quoscumque ferunt tua saecula vates,  
 12 rex es et est ratio nominis inde tui.  
 13 Nam Graii Regem dicunt Hessena poetae  
 14 esse ita te Regem nomine reque doces.  
 15 Et velut exerces agnatum in carmina regnum,  
 16 recta stat in versu syllaba quaeque tuo.  
 17 Hoc scriptum excipiunt atque amplexantur amici,  
 18 et Regem clamant omnibus esse locis.  
 19 Ipse ego quandoquidem nec publica scripta negare,  
 20 nec poteram caris obstruere ora viris.  
 21 Rex, inquam, rex vester ero, quando ista necesse est  
 22 tradita militiae nomina ferre meae.  
 23 Verum alios titulos, nec inepta insignia sumam,  
 24 moria jamdudum cognita tota mihi est.  
 25 Vidimus Utopiae latissima regna superbae,  
 26 tecta lucernarum sunt peragrata mihi.  
 27 Fortunata meo lustrata est insula cursu,  
 28 dulcia ubi aeterno flumine mella fluunt.  
 29 Qua viret ambrosiae succus, qua rupibus altis,  
 30 nectara ut e caelo praecipitata cadunt.  
 31 Gentis Hyperboreae felicem vidimus oram,  
 32 qua neque mors homines, nec mala fata premunt.  
 33 Qua stant perpetuam facientia stagna juventam,  
 34 qua licet in caelum scandere quando libet.  
 35 Haec per et haec circum pulcherrima regna volentem,  
 36 moria me fida duxit amica manu.  
 37 Cumque peragrarem tot tantaque regna, licebit  
 38 stultitiae titulos sumere jure mihi.  
 39 Musica legitimum sumant in carmina regnum  
 40 qui sunt Maeonidae Virgiliique super.  
 41 Quam mihi sint nullae scribenda in carmina vires  
 42 sentio, et ingenium metior inde meum.  
 43 Vos quia me Regem facitis, sinite esse tyrannum,  
 44 stultitiae haud aliud me diadema movet.  
 45 Sic ego, paruerant illi tam vera monenti,  
 46 tradentes manibus Regia sceptris meis.  
 47 Fecerit ergo licet Reuchlinia littera regem,  
 48 non tamen hoc tantum contulit imperium.  
 49 Plurima Capnioni subscribit turba. Quid inde ?  
 50 Si rem complebunt nomina Caesar ero.

## DE EBRIETATE.

S2\_30 v.1 Auriculas asini Phrygio mens stulta tyranno,  
 2 torva Jovi tauro cornua fecit amor.  
 3 In porcos Ithaci comites pecuina voluptas  
 4 exuit, et balat Rex maris inter oves.  
 5 Decolor ira canem Cisseida fecit, Olympo  
 6 invidiae labes Arcton utramque dedit.  
 7 Induit ora lupi ferus impietate Lycaon,  
 8 Cercopibus pretium simia perfidiae est.  
 9 Atque alias aliae pestes fecere figuras.  
 10 Singulaque artifices monstra habuere suos,  
 11 has tamen una potest omnes effingere formas  
 12 omnibus in vicium doctior Ebrietas.

## III

## HELII EOBANI HESSI SILVARUM LIBER III.

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI JOANNI FRIDERICHO S.R. IMP.  
ELECTORI DUCI SAXONIAE.

S3\_1 v.1 Inclute dux, clarum genus alto a sanguine Regum  
2 qui patris et patruī nobile nomen habes.  
3 Patris Joannes, patruī Frideriche, potentum,  
4 quos inter divos, saecula nostra locant.  
5 Haec age pacifico juvenis dignissime scepro,  
6 haec age placata carmina fronte vide.  
7 Quae tibi non aliquo qui fallat lumina fūco  
8 mittimus, aut levibus ceu rapienda notis,  
9 sed magis ex animo tibi quo, clarissime Princeps,  
10 nullus in hoc populo junctior esse potest.  
11 Misimus ergo rudes animo dictante Camenas  
12 nec leve, nec tantum temporis hujus opus.  
13 Nam licet haec brevibus claudatur epistola verbis,  
14 longa tamen series posteritatis erit.  
15 Cui tua perpetuum virtus memoranda sub aevum  
16 mittitur hoc quali carmine cumque meo.  
17 Ut tu ceu primis claros Heroas ab annis  
18 indole praeclara vincis et ingenio  
19 sic tua nobilior te digno munere virtus  
20 et fieret famae clarior aura tuae.  
21 Quae tibi ab hac certe pulcherrima parte futura est  
22 qua chorus ante alios prodiga turba sumus.  
23 Nec tamen in quemvis : nisi enim dignissima Musae  
24 non celebrant ; virtus hoc dare sola potest  
25 quae quoniam aequales tibi contigit inter ephebos  
26 quam stupeat posita flavus Apollo Lyra  
27 digne cani juvenis centum per carmina linguis  
28 non debes meriti laude carere tui.  
29 Ne tua praeclaris tot dotibus aucta juvenus  
30 virtutis possit non meminisse suae  
31 quae nisi se ipsam acuat stimulante cupidine laudum  
32 saepe velut languens excidit ipsa sibi.  
33 Quod tibi ne timeas Princeps animose futurum  
34 plurima sunt quae te commonuisse queunt.  
35 Fulget imaginibus primum domus incluta, quae te  
36 regibus eduxit nobilitate parem,  
37 clara ibi majorum cum contemplabere facta  
38 dignus ut huic generi cura erit esse queas.  
39 Inde tuae gentis primis Heroas ab annis  
40 illustres tanta laude stupebis avos.  
41 Totque duces inter clarissima nomina, summo  
42 summa loco Ernesti gloria stabit avi.  
43 Innumerabilibus quo non fuit alter ab annis  
44 principe consiliis, justitiaque prior.

45 Ad te iterum redeo, sanguis clarissime, cui non  
 46 par superis patruī gloria nota tui est ?  
 47 Ingentis quem non Friderici nomen in orbem ?  
 48 Quo non fama abiit ? Quo ve sub axe latet ?  
 49 Romani Imperii qui nunc Septemvir honorem  
 50 gaudet, et ablatum restituisset decus.  
 51 Rara illi poterint conferri exempla priorum  
 52 tam nihil eximiae munere laudis eget  
 53 quo neque Maecenas studiorum verior umquam  
 54 reddidit aetati Musica regna suae.  
 55 Qualibus ille opibus pulchrum deduxit ad Albim  
 56 claram perpetua nobilitate scholam ?  
 57 Qua pietate auget ? Meritis quibus afficit auctam ?  
 58 Cetera sunt elegis arduiora meis.  
 59 Quo tamen hunc qui te talem dedit ore canemus ?  
 60 Non facit ad laudes illius ulla chelys  
 61 ingenium majus, majoraque plectra meretur  
 62 qui potuit tantum te genuisse decus  
 63 et, quamvis nulli ille Ducum virtute secundus  
 64 cesserit, hoc meritum nomine majus habet.  
 65 Divinum in terris animum te namque gerentem  
 66 cum daret, orbi et opes divitiasque dedit.  
 67 Cujus ut eximiae flos indolis omnia spondet  
 68 maxima, sic debet non sine teste coli.  
 69 Sed neque te merita cariturum luce timebis  
 70 et nec in obscuro fama futura tua est.  
 71 In tua certatim surgent praeconia, quorum  
 72 musica divinum pectora numen habent.  
 73 Macte animo, veteres duce te revocabimus annos,  
 74 nunc suus ingeniis restituetur honos ;  
 75 macte iterum, clarum specimen virtutis avitae :  
 76 per te Castalidum purior unda fluet.  
 77 Tu modo sume animum te dignum Principe, teque  
 78 hujus opus rarum temporis esse puta.  
 79 Hoc facies si te non ad mediocria natum  
 80 maxima sed partes noveris esse tuas.  
 81 Sollicitent alios tituli sine rebus inanes  
 82 otiaque in magnis non habitura locum  
 83 divitiis inhiant illi, et popularibus auris  
 84 hos juvet assiduis luxibus esse graves.  
 85 Tu qui vere tuo tam flores indole laeta  
 86 virtutem extends per benefacta tuam ;  
 87 sic tibi praesentis sordescunt nomina famae  
 88 curaque venturae maxima laudis erit.  
 89 Ibis ab exemplis per splendida facta tuorum,  
 90 gloria Saxonicae contigit astra domus.  
 91 Te patris et patruī regnum manet, unus obibus  
 92 qua vice par ipsis regibus esse queas  
 93 quam decet et pulchra est socia virtute potestas,  
 94 nemo amat immodicas quae timeantur opes.  
 95 Quare age virtutem regnis adjuuge paternis,  
 96 magnus ut es, magnos maximus inter eris.  
 97 Jamque renascenti fer opem pietatis honori,  
 98 quod facis, haec res est principe digna viro.  
 99 Quae pius instaurat fidei desueta Lutherus  
 100 nomina, sint animi pondera prima tui.  
 101 Impuros cohibe liquidis a fontibus apros  
 102 quid lacerat miseris pastor avarus oves ?

103 Nunc tamen involucris quibus haec non semper agemus,  
 104 non etiam tectis egimus ante notis.  
 105 Vive diu, Princeps animo dignissime tali,  
 106 indolis et noli non memor esse tuae.  
 107 Sic tua nec dubita seros durabit in annos  
 108 extremo virtus non obitura die.  
 109 Quod tibi praestabunt per amantes talia Musas  
 110 qui nunc Pieridum cumque foventur aquis,  
 111 quos inter numero si me dignaberis ullo  
 112 invictum numeris experiere. Vale.

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI GUILIELMO DUCI BRUNOSVIGENSI APUD HOSTES CAPTIVO

S3\_2 v.1 Improba quam dubiis fortuna volatibus erret,  
 2 quam possit certas non habuisse vices,  
 3 quam plerumque bonis atrox, quam fida malignis  
 4 audiit ipsa meo carmine saepe queri,  
 5 te quoque in indignos casus nisi saeva tulisset,  
 6 non habuit leges, Dux Guilielme, suas.  
 7 Heu generose animi Regum clarissime sanguis,  
 8 quam tua nunc merita gloria sorte caret,  
 9 quam voluit nimium tecum fortuna jocari,  
 10 hic illam vires non habuisse velim.  
 11 Nempe jaces blandi deceptus imagine Martis  
 12 sic tamen ut possis surgere nempe jaces.  
 13 Nec tua degeneri mens consternata pavore est  
 14 aut animi virtus excidit ipsa sibi,  
 15 nec tibi defuerant animosae in proelia vires :  
 16 semper ad armorum pondera fortis eras  
 17 utque tuus, Regum domitor, pater omnia vicit.  
 18 Hic quoque victurus si licuisset eras  
 19 invidit fortuna tuis, Dux inclute, coeptis,  
 20 quamvis et fratre est aequius usa tuo  
 21 fortibus Henricus qui te nunc vindicat armis,  
 22 magnanimo juvenis cum patre dignus avis  
 23 nec ponet, nisi te, quae nunc agit arma, recepto  
 24 auguror et res est ista futura brevi.  
 25 Victor ad hostiles ita fulminat impiger arces  
 26 moenia sic duro fortia Marte quatit,  
 27 perge invicte animo juvenis, fac sentiat hostis  
 28 sentiat iratum perfida turba sibi.  
 29 Praemia perfidiae defer sua quanta meretur  
 30 qui tibi non proprio milite damna tulit,  
 31 qui te non virtute sua sed fraude coegit.  
 32 Tot pro fratre pio cladibus esse pium  
 33 sentit, et hoc ipsum jam Luneburga juventus  
 34 ipse quoque admissum devovet auctor opus,  
 35 vince armis igitur qui vincis pondere causae  
 36 hostes, ut poenas quas meruere luant.  
 37 At tu fer placide durae ludibria sortis  
 38 altera Saxonicae lux, Guilielme, domus  
 39 nec tibi turpe puta quia sis deceptus ab illo  
 40 qui quod erat non hoc debuit esse tibi.  
 41 Qui quia pars vestri non ultima sanguinis esset  
 42 credidit in vobis fraudibus esse locum  
 43 et quia non potuit virtute et viribus impar  
 44 vos petere insidiis est licuisse ratus.

45 Sed dabit, heu, nimias tali pro crimine poenas  
 46 nec dubita, vates praescia turba sumus  
 47 jam video undantes inimico sanguine fossas,  
 48 jam video aerata moenia mole quati.  
 49 Aspicio vastos incendia lata per agros  
 50 vix aliquem justis caedibus esse modum :  
 51 heu improvida mens hominum atque ignara futuri  
 52 quam tua supplicio est culpa luenda gravi ?  
 53 Tu tibi commissae curares commoda plebis  
 54 o sacer, o populo praesul inique tuo.  
 55 Martia bella duces non sacra corona ministrent  
 56 Pontifices, numquam Martia bella decent.  
 57 Sacra bonus tractet verbi mysteria pastor,  
 58 bella gerant reges, quos decet iste labor.  
 59 Tu tamen oblitus vicis illorumque tuaeque  
 60 pro libris clypeos, pro cruce tela geris.  
 61 Sed mihi nec tecum ratio est suscepta querelae  
 62 quam bene pro patria feceris ipse vides :  
 63 horrida circumstant etenim te bella, nec usquam  
 64 qui tibi nunc armis auxiliarentur habes.  
 65 Hoc erat infidis Gallis patria arma pacisci  
 66 hoc tibi, prima mali causa Sicamber, erat.  
 67 Nunc ad te, inclute Dux, redeo, Guilielme, querentem  
 68 tradita virtuti praemia iniqua tuae,  
 69 utque feras animo non hortatoris egente  
 70 des patris Henrichi manibus ista precor :  
 71 per patris inferias belli virtute potentis  
 72 dum licuit saeculi laus fuit ille sui.  
 73 Per genus a proavis longa quod origine ducis  
 74 Caesaribus, quibus est incluta vestra domus.  
 75 Quae te magnorum de gente creavit Othonum  
 76 quos Romae dominos vos genuisse liquet  
 77 aedite magnorum regum de sanguine debes  
 78 virtutis numquam non meminisse tuae.  
 79 Et patris et fratris te et avorum vivida virtus  
 80 excitet ut possis fortiter ista pati.  
 81 Nam neque te primum dubio fortuna fefellit,  
 82 saepe aliis vultu deteriore fuit.  
 83 Ut veteres taceam nuper tibi perfida Brugi,  
 84 maximus in vinculis Aemilianus erat.  
 85 Hinc quoties captivus erat, quem Geldria pugnax  
 86 saepe injusta suum misit in arma Ducem.  
 87 Aspicias extorrem patria procul arce Suevum,  
 88 non aliquam reditus posse parare viam.  
 89 Quis vetet et profugum Danorum his addere regem,  
 90 quam misere regnis excidit ille suis.  
 91 Quo nunc ille abiit quem Burgum nobile Lunae,  
 92 tam sibi non fidum nollet habere ducem ?  
 93 Hunc quoque vix propria mansurum in sede putarem,  
 94 qui tibi fortunae conditor hujus erat.  
 95 Quare age, sume animos invicto principe dignos,  
 96 et quia sic opus est fata fer ista libens.  
 97 Non erit aeternum quod nunc dolet, ultima primis  
 98 exspectanda tibi, sed meliora puta.  
 99 Quod nunc tu pateris passi persaepe fuerunt  
 100 innumeri reges innumerique duces.  
 101 Neve quod immerito pateris cruciari, per istas  
 102 ceu nebulas virtus surgere vera solet.

103 Adde quod haec cautos ad honesta pericula reddunt,  
 104 clade sua doctus qui sapit ille sapit.  
 105 Adde fidem famae de te non falsa locutae,  
 106 et nunc ista viri nomina fortis habe.  
 107 Et quia te Musis doctisque fatentur amicum,  
 108 carmina quae lusi consule pauca boni.  
 109 Jussit nanque fides tibi debita pectoris hujus  
 110 fortunae casum condoluisse tuae.  
 111 Tempus erit quo tu, devictis hostibus ultor,  
 112 extendes patriae florida regna tuae.  
 113 Tunc meliora fluent nostrae tibi carmina Musae,  
 114 tunc tua, tunc fratris Martia facta canam.  
 115 Tu modo versiculis ne spernas vilibus ausum,  
 116 ut legerent oculos sollicitasse tuos.  
 117 Sis felix fortisque diu, vive, optime princeps,  
 118 omnia et ut possis vincere dura. Vale.

DOMINO HENRICO APERBACCHO MEDICO IN FUNERE COSMAE FILII EPICEDION.

S3\_3 v.1 Flevimus exstincti nuper tibi fata parentis,  
 2 hic finis querulae debuit esse Lyrae.  
 3 Nunc quia quam nollem causa est, Henrice, dolendi  
 4 ipse locum certe debet habere dolor.  
 5 Et miseris addit quaedam solacia luctus,  
 6 fata ubi non possis vincere flere juvat.  
 7 Haec igitur maesto tibi venit epistola vultu,  
 8 ultima maestitiae sit precor illa tuae.  
 9 Quaeque ego debebam nascenti jubila Cosmae,  
 10 solvo immaturi funeris inferias,  
 11 heu divum impietas, heu ferrea jura sororum,  
 12 quantum erat hic avidas non habuisse manus ?  
 13 Tam licet insontes etiam violare ? Piumque est,  
 14 qui vix dum vivus coeperit esse, mori ?  
 15 Nondum illi magnum Phoebus semel egerat orbem,  
 16 flos tener, heu, nimium floruit ille diu.  
 17 Laetior arrisit post sidera prima, secundo  
 18 invida natali non reditura dies.  
 19 Indolis egregiae jam spes promissa parentem  
 20 extulit, elatum sed cito deseruit.  
 21 Tam cito vere novo vix dum rosa nata pruinis  
 22 aut matutino frigore tacta cadit.  
 23 Quid juvat humanis etiam nunc fidere rebus,  
 24 si tam spes miseros fallere certa potest ?  
 25 Heu puer, heu quondam vita dignissime sanguis,  
 26 hanc auram, hunc solem deseris ante diem ?  
 27 Vix mundum ingressus retro fugis, ane dedisse  
 28 te superos credam paenituisse deos ?  
 29 Dissimilis rerum series, et iniqua deum lex,  
 30 tempore quam constant optima quaeque brevi  
 31 tot superant hominum pestes vitaeque tyranni,  
 32 quos melius vitam non habuisse fuit.  
 33 Unica naturae blande arridentis imago  
 34 concidis, heu longum vivere digne puer.  
 35 Transisses utinam primi confinia lustris,  
 36 forte deo poteris non revocante mori.  
 37 Jam nunc invidia est, quis enim neget ? Illa deorum  
 38 vix ortum, terras deseruisse decus.



39 Jam tibi certa duae ducebant fila Sorores,  
 40 cum tibi demissum tertia rupit opus.  
 41 Herculeis totiens juvenum dea, pressa lacertis,  
 42 tum primum visa est indoluisse palam.  
 43 Tunc immaturo consumptum funere Cosmam,  
 44 ipsa parens rerum paene erat ausa queri.  
 45 Conciliatrices divae crudelia questae,  
 46 fata, coronantes deposuere rosas.  
 47 Jam Musas, quoniam spes tam blandita fefellit,  
 48 monte sub obscuro delituisse ferunt.  
 49 Tu quoque vocalis cytharae gestator Apollo,  
 50 fregisti irata plectra Lynamque manu.  
 51 Illi namque choro quantum decus ille futurus  
 52 hei, fieri juvenem si licuisset, erat.  
 53 Auctori similis Phoebos pater arte medendi,  
 54 ferre Machaoniam te docuisset opem.  
 55 Quodque senex Chiron puero praestabat Achilli,  
 56 vixisses utinam praestitit ille tibi,  
 57 Musarum virides patruus Petreius hortos,  
 58 et Ciceroneas explicuisset opes,  
 59 is tibi sponte sua salientia plectra dedisset,  
 60 seu libeat numeris ludere, sive loqui.  
 61 Sed frustra. Quid enim vanas iterare querelas  
 62 Orphea sublatae proderit Eurydici ?  
 63 Ille quidem gelidi latis in vallibus Hemi  
 64 Eurydicen querula concinit usque chely :  
 65 silva feraeque stupent, montes et saxa sequuntur,  
 66 miratus cursum comprimis Hebre tuum.  
 67 Non tamen audit atrox devoti regia Ditis,  
 68 illa stat ad cunctas janua surda preces.  
 69 Quin igitur fallaci animum lacerare dolore,  
 70 desinis et luctus discis habere modum.  
 71 Quin subit humanae sortis meminisse, quod hujus  
 72 usque adeo instabile est condicionis opus.  
 73 Nulli usquam certus vitae status omnibus horis,  
 74 fimus et occidimus, nascimur et morimur,  
 75 falce sua mors cuncta metit discrimine nullo,  
 76 cum senibus pueros, cum puerisque senes,  
 77 quid facis invidiam superis ? Spes nulla reverti  
 78 quem semel in Stygio vexerit amne Charon.  
 79 Mortua tam stultum est deflere cadavera, quam si  
 80 te doleas fieri non potuisse deum.  
 81 Ergo immaturo quamquam tibi funere raptum,  
 82 ne doleas omni tempore filiolum,  
 83 adde modum lacrimis, stultum est sine fine dolere :  
 84 paene erat hoc vita non abeunte mori.  
 85 Quin potius nova busta para, signaque sepulchrum  
 86 quoque notes, carmen, si libet, illud habe,  
 87 natus Aperbacchae domui nova gloria Cosmas,  
 88 vix sibi conspectam deseruit patriam.

AD LUDOVICUM CHRISTIANUM EPISTOLA.

S3\_4 v.1 Vade, datam pro me fer epistola fida salutem  
 2 illi cui numquam non placuisse potes.  
 3 Vade iterum nostra Ludovicum voce saluta,  
 4 qui grave de secta Christide nomen habet.

5 Et si longa via est, non sit via longa timori,  
6 non est, ut fuerat, pulverulentus ager.  
7 Nunc gelidi saevis constant Aquilonibus amnes,  
8 jam virides ponit flaccida silva comas.  
9 Mutantur solitis viduata coloribus arva,  
10 usta pruinosis noctibus albet humus.  
11 I mea Musa tamen, sed non, quae nuper amabas,  
12serta coronata spicea fronte geras.  
13 Hoc decuit cum te Thuringia laeta foveret,  
14 nunc potes acceptis frondibus esse decens.  
15 Nam quia transibis loca saltibus obsita, debes  
16impexum foliis implicuisse caput.  
17 Et quia nota tui Ludovici tecta subibis,  
18 hunc quoque ne cultum nesciat unde feras.  
19 Sed sciat e regione sibi Mysneidos orae,  
20 talia non falsa nuntia missa fide.  
21 Dum te tristis habet dubiis Erphurdia fatis,  
22 et studii fructum fers, Ludovice, tui.  
23 Ille tuus tumida vates assuescit in aula,  
24 otia mutata sorte superba pati.  
25 Si quid agat quaeris, vivit, valet, hoc tamen unum,  
26 quod solito tecum non licet esse, dolet.  
27 Hoc etiam doluit meminisse cum nuper abiret,  
28 te dare supremum non potuisse vale.  
29 Exiit ingratham paucis comitantibus urbem,  
30 cur non e paucis qui foret unus eras ?  
31 Non secus indoluit teneri quam doctor amoris,  
32 cum Tomin et Scythicam quaereret exsul humum  
33 saepe relinquendam respexit tristis ad Urbem,  
34 et dixit quamvis non mereare, vale.  
35 Sed tamen et merita est quod sustulit illa jacentem,  
36 sed non sustinuit quem tulit, ergo nocens.  
37 Nam quid legitime si natum dives adoptet,  
38 nolit adoptatum prolis habere loco.  
39 "Vive tamen, dixit, quoniam in te viximus, atque  
40 in te dum licuit vivere dulce fuit."  
41 Sic ait, et lacrimis in verba cadentibus ibat,  
42 turbida multiplici grandine saevit hiems.  
43 Non magis obscurus, nec erat nimbiosior aer,  
44 qui te Dardanio junxit Elisa viro.  
45 Ibat ut ignota lacer in regione viator,  
46 heu sine te viduo turture flebilior.  
47 Quartus ab Oceana processit Lucifer unda,  
48 ad nova quaesitae litora venit aquae.  
49 Illic secreta tandem statione quievit,  
50 unde ego sum vultus missa videre tuos.  
51 Nunc abiisse puto, quo me tibi tempore misit  
52 norat adhuc abitus tempora nulla sui.  
53 Nunc ego longa viae feci dispendia, nunc me  
54 postquam missa fui Luna secunda videt.  
55 Verum ubi sit, quid agat, quibus et cum vivat amicis.  
56 Si vivet Musa liberiore leges.  
57 Hoc tamen adjecit sibi non ut libera nuper  
58 otia, sed fastus luxuriamque coli.  
59 Nunc primum tornata loqui meditataque verba  
60 discit, et insolita flectere lege genu.  
61 Ridet, et ingressae totum se accomodat aulae  
62 et studia accepto plena favore colit.

63 Nobilis obfuscatur vulgares purpura vestes,  
 64 ferre tamen Musas aula superba potest.  
 65 Has colit, has praefert, et adhuc veneratur in aula  
 66 Dii faciant fato candidiore. Vale.

AD LUDOVICUM PLACENTAM MELOSINGUM.

S3\_5 v.1 Hanc tibi si nescis mitto, Ludovice, salutem,  
 2 Teutonicas ausus ludere primus oves.  
 3 Namque quod aspectu non est tibi cognita primo  
 4 causa sigillatae stigmata frontis erant.  
 5 Annulus hanc etenim chartam signavit adulter  
 6 quod mihi vobiscum gemma relicta mea est  
 7 si qua liturarum forsitan dispuncta videbis,  
 8 crimina difficilis noveris esse viae.  
 9 Saepe ego cum summo limarem pumice dixi  
 10 nunc tibi habenda tui cura decoris erit.  
 11 Ibis ad ora viri Musarum iudicis, illi  
 12 si potes informis ne videre cave,  
 13 sed tibi nec facies putri est pingenda cerussa :  
 14 castas Pieridas non decet iste color.  
 15 Non calamistra tuos crispent nec sulphura crines  
 16 neglecta poteris pulchrior esse coma.  
 17 Unio nec collum, nec tempora contegat aurum  
 18 sit demissa tuos vestis adusque pedes.  
 19 Nec nimis emineant teretes in pectore mammae  
 20 sic Venus Anchisae cum peteretur erat.  
 21 Non jaceant madidi per eburnea terga capilli,  
 22 hoc est in casta virgine turpe decus.  
 23 Nec tibi magna novae quaerenda tonitrua vocis,  
 24 hic satis a solita rusticitate places  
 25 hac instructa decens potes et formosa videri  
 26 o requies vatis blanda Thalia tui.  
 27 Arguit incestum species lasciva pudorem  
 28 raraq̄ue liberius femina culta proba est.  
 29 Sic ego, sic fanti Nymphae subrisit, et inquit  
 30 Multa tenet mentem sollicitudo tuam.  
 31 Non ego sum proprii, mihi crede, oblita pudoris  
 32 cultibus ut malim luxuriare novis  
 33 non adeo extollor, non sic sublime tumesco,  
 34 ut sim fortunae non memor ipsa meae.  
 35 Et mea simplicitas Melosingo saepe placebat,  
 36 saepe idem nostro captus amore fuit.  
 37 Sic mea Calliope cecinit, sic fata quievit  
 38 me tamen audaces impediēte sonos.  
 39 Doctus ut es studiis, potes haec cognoscere, in istas  
 40 quae sit, quo constet fabula nostra modo.  
 41 Quo vult progreditur lasciva licentia vatum  
 42 corpore non Proteus liberiore fuit.  
 43 Haec et plura olim tecum memorare solebam  
 44 propositi nunc est altera causa mei.  
 45 Ut valeas longos et agas feliciter annos,  
 46 aspicient animae numina summa tuae,  
 47 hoc simul atque tui ne sis precor immemor Hessi  
 48 qui tibi quo licuit tempore frater eram.

## AD JUSTUM JONAM PEREGRE REVERSUM.

S3\_6 v.1 In patriam exacto dum te rediisse Decembri  
 2 pars quota jam populi quae loqueretur erat  
 3 fama meas numquam jucundior attigit aures,  
 4 dum sextam reficit menstrua luna rotam.  
 5 Dumque ultro citroque vagor, consuetaque nuper  
 6 lustra peto, Jona nil minus invenio.  
 7 Ut lateas an forte redis ? An fallis amicum ?  
 8 Et crucias lenta pectora nostra mora ?  
 9 Sic poteras absens etiam rediisse videri,  
 10 tu licet et fuscis incoleres Arabas.  
 11 Non fuit Arctoo magis hoc latuisse sub axe  
 12 frigida qua lento plaustra Boote stupent.  
 13 Sic poteras ultra extremos Garamantas et Indos  
 14 nobiscum nihilo vivere et esse minus.  
 15 Perfide an hoc debes tam fido reddere amico ?  
 16 Officium non hoc debuit esse tuum.  
 17 Non sat erat nuper furtivo abiisse recessu  
 18 ni mihi sic redeas, ut rediisse negem ?  
 19 Qua tamen accusere subest injuria major  
 20 teque reum Musis quando libebit agam.  
 21 Jam cauda feriente nocens Sol attigit astrum,  
 22 cum tua deseruit litora nostra ratis.  
 23 Humidus excepit Phoebaeia lumina Chiron  
 24 posthinc semicaprum Pana subisse liquet.  
 25 At Deus ut fluida properat Ganymedis ab urna  
 26 sub gelidis quintum piscibus egit iter,  
 27 jamque ovis Aetaeum peragravit Colchidos aurum  
 28 cum subit Europae cornua fulva Proci.  
 29 Plena fuit totiens : totiens vaga Luna renata est  
 30 septima jam Divae signa rubere vides,  
 31 postquam nulla mihi quae possit epistola venit  
 32 dicere de Jona, quem colis Hesse, valet.  
 33 Candidus ex ista saltem mihi parte fuisses  
 34 misisses aliqua scripta notata manu  
 35 esset quod de te quererer minus, et tua certe  
 36 quae nunc paene jacet, staret ut ante, fides  
 37 sed quo quam volui me longius evehis ? Aut quo  
 38 mordaces numeros ebria musa jacis ?  
 39 Nil tua facundum perturbat inertia Jonam,  
 40 defendi causis pluribus ille potest  
 41 atque utinam posses, me sic cogente, probare  
 42 me potius certam non tenuisse fidem.  
 43 Quod quia non poteris, culpam fateare necesse est,  
 44 illa via ad veniam sola relicta tibi est.  
 45 Tu quoque falsa licet fingas peccata vicissim  
 46 argue me cultae non sat amicitiae.

## AD EUMDEM.

S3\_7 v.1 Jam pater acceptum lustrarat Februus annum  
 2 idibus antiquo lux erat orta Jovi.  
 3 Tum quoque si caelum videas, et signa requiras  
 4 in caelo corvus crater et anguis erant,  
 5 sidera mirabar docto gratissima Phoebos  
 6 inque meo quaedam pectore flamma fuit.

7 Ac si magnorum sensissem numina Divum  
 8 Phoebaeum terris explicuisse jubar,  
 9 seu quandoque hominum mens est praesaga futuri,  
 10 seu facit hoc nullo lumine Diva potens.  
 11 Huic animo supra jam sidera summa vaganti  
 12 terreno propior venit ab igne calor.  
 13 Nam tua me vanis adhibentem lusibus aurem  
 14 propositum non est littera passa sequi.  
 15 Quae mihi tum meditati animo diversa laborum  
 16 praemia fortuna reddita teste fuit.  
 17 Ite alio miserorum elegi solacia amorum  
 18 ite alio lyrici carmina nostra pedes.  
 19 Non ego nunc vestro Veneres in sanguine pascam  
 20 nullus ab hac iterum vite rubebit amor.  
 21 Stat mens certa sequi vanis meliora relictis  
 22 vana pudor vatium numina Phoebus habet,  
 23 sicut enim stipulae multo jam sole perustae  
 24 in flammis totae, si quis adurat, eunt.  
 25 Sic tua jam calidam succendit epistola mentem,  
 26 quae Musis credi scripta fuisse potest.  
 27 Qua neque Reginae Charites, Veneresve benignae,  
 28 qua neque Phoebus blandior esset olor.  
 29 Gratulor ergo tuae, Jona carissime, dextrae  
 30 quae mihi tam pulchro munere dextra fuit.

AD DESIDERIUM ERASMUM ROTERODAMUM. EPISTOLA LOVANII SCRIPTA.

S3\_8 v.1 Numquid ut acceptam relegis, vir docte, salutem  
 2 longinquo missam credis ab orbe tibi ?  
 3 Desine, nam subiit dispendia nulla viarum  
 4 sidere nec torpet, nec riget usta gelu.  
 5 Aspice quam nulla tritae sint parte tabellae  
 6 quam rudis a calamo littera paene fluat.  
 7 Unde igitur quaeris ? Vel cujus epistola venit ?  
 8 Ut jam coepisti, perlege, utrumque scies.  
 9 Hic ubi Lovanium, te famae vindice, floret  
 10 quantum non aliquo quaelibet ora suo.  
 11 Hesus inaudaces tibi mittit, Erasme, Camenas,  
 12 qualibus o utinam dignus es ipse cani.  
 13 Jam quid, et unde legas certus, quid in hospitis haeres  
 14 nomine, et est novitas haec peregrina tibi ?  
 15 Qua novitate tamen tibi nil antiquius esset  
 16 hunc florem vellem perdere, et esse senex.  
 17 Sed tamen ut noris quis, et unde advenerit Hesus  
 18 aedita quam paucis sint tibi multa vide.  
 19 Incluta ubi aérias Erphurdia despicit arces  
 20 Thuringam veniens Ghera salutatur humum.  
 21 Inde etenim repetam, properatam utcumque salutem,  
 22 quis tibi, dum meditor, perferat, ipse tuli  
 23 et ne forte putes quae nunc legis aedita nuper :  
 24 sunt mihi praecipiti carmina facta mora.  
 25 Signa recognosces, fateor, doctissime Erasme,  
 26 tu mihi jam dudum numinis instar eras.  
 27 Tantum ego mirabar quae te scripsisse videbam  
 28 scripta sub aeternos certe abitura dies.  
 29 Non tamen audebam triviales mittere versus  
 30 maxima te coram cura videre fuit.

31 Quod quia non licuit sperabam posse licere  
 32 fata sed, heu, votis semper iniqua meis.  
 33 Fama fuit nostras venturum te quoque ad oras  
 34 servabam in tacito gaudia clausa sinu.  
 35 Hac me delusum spe deserit unus et alter,  
 36 nunc etiam in cursu tertius annus erat  
 37 parte sui felix Basilaëa superbit Erasmo.  
 38 Invideo hoc lumen, maxime Rhene, tibi  
 39 dum propero exceptit clamosa Moguntia tristi  
 40 auspicio : nam te testis abisse fuit.  
 41 Quid facerem ? Retrone ferar, patriamque revisam ?  
 42 Plurimus in patrio limine nasus erat.  
 43 Qua licet ire libet, non me nec saxa, nec ignis  
 44 ipsaque triste minans non prohibebit hiems,  
 45 protinus evadam non qua Germania solum  
 46 desinit, et refluo clauditur Oceano ;  
 47 sed quacumque aliquid terrarum Phoebus oberrat  
 48 aspiciam vultus donec, Erasme, tuos.  
 49 Sic mihi da veniam, furiosa in coepta ruenti,  
 50 milia sunt pedibus bis quater acta decem.  
 51 Donec anhelantem populosa Brabantia curram  
 52 jam non mansuetos sistere jussit equos :  
 53 i nunc investes quosdam currisse sub Indos,  
 54 i fer ad Isiacas isse Platona domos  
 55 quantum Pythagorae debetis Gymnosophistae  
 56 quod pudet hoc ausus dicere paene fui  
 57 nil tibi Apolloni veneratus debet Iarbas  
 58 in phiala quiddam nectare majus erat.  
 59 Da mihi te facilem super hoc erit omnia, nec me  
 60 placatos credam plus habuisse Deos.  
 61 Sed quis ut exorem labor est ? Oracula non sunt,  
 62 si qua fides famaë, Delphica certa magis  
 63 et nisi non referunt animum quae scribis eundem  
 64 te nihil usquam uno mitius esse potest.  
 65 A quoties cum scripta tuae carissima dextrae  
 66 perlegerem mecum non satis ipse fui :  
 67 nomina sunt per te magis illustrata meorum.  
 68 Hei mihi, cur doleo nomen abesse meum ?  
 69 An fuit illa mali gravis inclementia fati ?  
 70 An patriae nocuit barbara terra mihi ?  
 71 Vel quia te nobis sperabam saepe futurum,  
 72 si quis habere potest somnia spemque simul.  
 73 Quicquid id est potui leviter peccasse, repensum  
 74 quod tamen officio nunc graviore fero.  
 75 Livius extremos fama commovit Iberos,  
 76 ut peterent urbem, Romule magne, tuam.  
 77 Quem tu non moveas ? Quod non capiatur Erasmo  
 78 hoc silicem et ferrum pectus habere putem.  
 79 In patria concessa agere otia, et esse quieto,  
 80 quis credat per te non licuisse mihi,  
 81 et jam, verna prius, senuit posuitque nitorem,  
 82 frigore jam tellus languit usta novo.  
 83 Nec mihi, ut ex ista contemptrix turba poetae  
 84 parte sumus, largas copia fudit opes.  
 85 Magnus in hoc iter est animus pro munere sumptus  
 86 hoc ego sum Croeso ditior atque Mida.  
 87 Nec me viniferi scopulosa volumina Rheni,  
 88 nec pluvia spirans terruit Auster aqua.

89       Insidias, regio quibus est haec plena, viarum  
 90           anne etiam Musae pertimuisse queant ?  
 91       Saepe ego per gladios, per tela inimica, per ignes  
 92           cum Musis, Phoebos Praesule, tutus eram.  
 93       Nunc etiam his terris cum saeviat improba pestis,  
 94           servavit vatem Christus Apollo suum.  
 95       Tu modo Germanae laus unica et ultima famae  
 96           aspira votis, si peto justa, meis.  
 97       Nec frustra venisse pati, vir maxime, debes,  
 98           est aliquid laudis forte quod inde petas.  
 99       Sed mihi non auro, non est Euphratide gemma,  
 100           quo sit opus de te non aliunde venit.  
 101       Scribimus a cena scribentem frigora cogunt  
 102           appetere adstantis plumea strata tori.  
 103       Cetera si dabitur tecum, quae plura, loquemur  
 104           quae nisi nos nemo debuit, ipse feram.

AD JONAM COMMISSA SCRIPTA REPETIT.

S3\_9    v.1       Collige quae dedimus docti tibi carmina Rufi,  
           2           ad dominum fas est jam remeare suum.  
           3       Jam satis urentes tineas pavere, situque  
           4           carmina plus nimio pulverulenta jacent.  
           5       Et nisi cum primis Reuchlinia scripta remittas,  
           6           vix aliquam credam te coluisse fidem.  
           7       Namque quid est totiens repetita, remittere nondum,  
           8           quae dedimus paucos inspicienda dies.  
           9       An quia desinimus studiis juvenilibus uti,  
 10           his me deliciis posse carere putas ?  
 11       Quod te per superos et sacra silentia testor,  
 12           per Venerem quae te non sinit esse tuum.  
 13       Redde meos Rufos, Reuchlinum redde docentem,  
 14           moliri audaci Musica regna manu.  
 15       Noster idem, sed non saevus Draco, poscit Iona,  
 16           omnia ridentis carmina redde Croti.  
 17       Praeterea Hutteni quo nam sit epistola fato  
 18           perdita, vel qua nam nocte sepulta jacet.  
 19       Ne totiens pergas certa spe fallere amicum,  
 20           innocui vates et sine fraude sumus.

AD PETREIUM APERBACCHUM UT DIALOGOS SCRIBAT.

S3\_10   v.1       Qualem docta suum numeris Verona Catullum,  
           2           jactat, et Aufidiam terra Capena Lyram.  
           3       Quales Parthenope jactat Tyrrhena poetas  
           4           alterius silvas, alterius tumulos.  
           5       Dispeream nisi te talem tua patria possit,  
           6           si pede quo numeri contineantur eas.  
           7       Quod si forte voles filo venisse pedestri,  
           8           non alio major palma futura tibi est.  
           9       Non te blanda tui Joviani fabula vincet,  
 10           non Samozateni frivola probra senis.  
 11       Ante quoque ad Stygiam te descendisse paludem  
 12           vidit in obscura quaelibet umbra domo.  
 13       Nunc age si pudor est Petrei petere infima rerum  
 14           pervia scansuro quis neget astra tibi ?

15 Vade age, quid dubitas ? Animae si in morte loquuntur  
16 armet viventes garrula lingua deos.

IN PRAEELECTIONE LIVIANA

S3\_11 v.1 Quisquis ades lege, ne lacera, nec diripe lectum  
2 si quid habes cordis, si quid habes fidei.  
3 Publica non debent fieri privata, nec umquam  
4 in proprios usus res aliena trahi.  
5 Cur ita ? Sunt quaedam quae multos scire velimus,  
6 non mihi tu solus conveniendus eras.  
7 Ut niger aereo sudans in pulvere messor,  
8 jam mediis verum cursibus urget opus.  
9 Audax ut dubio deprensus in aequore nauta,  
10 jam facili coeptum remige sulcat iter.  
11 Fortis ut invisum delatus miles in hostem,  
12 jam rotat audaci tela coacta manu.  
13 Sic ego qui subii magni penetrabilia Livi,  
14 quid faciam potius quam mea coepta sequar ?  
15 Sic juvat, estque animus, seu te tua candide pubes,  
16 fata trahunt alio, seu meliora monent.  
17 Sed moveant potius quae sunt pulcherrima, namque  
18 ingenii memorem te decet esse tui.  
19 Fallit inutilibus desumpta laboribus aetas,  
20 praecipua est virtus optima posse sequi.  
21 Perdatur a studiis alienum tempus honestis,  
22 tu ratio ad studium quae sit honesta vide.  
23 Est aliquid novisse viam qua recta petantur,  
24 quam nisi cognoris, vivere somnus erat.  
25 Fertur ab Oceano quosdam traxisse, potentis  
26 Livius eloquii dexteritate fluens.  
27 Te mea non moveant etiam si verba Maronem,  
28 si referant vatem Bistonis ora tuum.  
29 Nec loca sunt adeunda tibi longinqua, nec ullo  
30 tempore quam perges pulverulenta via est.  
31 O bona nobiscum nata et felicia saecla,  
32 ipse tuas clamat Livius ante fores.  
33 Testor mundi ignes, oculum Jovis, omnia vellem  
34 maxima pro nostrae laude subire scholae.  
35 Atque utinam tandem, spes est bona, vera videntes  
36 cessemus quaedam qualiacumque sequi.  
37 Sed tamen haec alias, nec enim nunc ista volebam,  
38 non illum petiit nostra sagitta scopum.  
39 Hortor et admoneo ne sis cessator in illis,  
40 addita quae faciunt vivere, spreta mori.  
41 Nunc opus in cursu est, media nunc fervet arena,  
42 Romana invictus pugil in historia.  
43 Est operae pretium Romae spectare juventam,  
44 ad florem niti, jam cupere esse senem :  
45 dispeream si non impensam rite locabis,  
46 si licet impensam dicere, paene nihil.  
47 Lector abi, quoniam satis est legisse, valebis  
48 dexter, et hoc Hessum desipuisse feres.



## AD PETREIUM APERBACCHUM

S3\_12 v.1 Moenia ad obsessae mala permutatio Trojae  
 2 armorum Glauci cum Diomede fuit.  
 3 Armis arma tamen mutata rependere fas est,  
 4 nec pretium semper ponderis instar habet.  
 5 Tu quoque non pretium sed amici commoda spectans,  
 6 exiguum magno merce rependis opus.  
 7 Nunc videor Samii chlamydem posuisse tyranni,  
 8 pro lacera felix infula veste datu.

## AD EUMDEM.

S3\_13 v.1 Hac noctu Romam tecum sum visus adisse,  
 2 et lustrasse oculis omnia visa tibi.  
 3 Narrabas monumenta Ducum, digitisque notabas  
 4 mirificum tanta quicquid in urbe fuit.  
 5 Omnia mirantem tecum intravisse putabam,  
 6 tempore quae longo culta taberna tibi est.  
 7 Qualia ibi bibimus, Dii qualia vina dedisti ?  
 8 Non memini quicquam dulce fuisse magis.  
 9 Quod tamen hoc gratum fuit inter somnia, grator  
 10 quod Romam mihi vel somnia rettulerint.

## AD MARTINUM HUNUM.

S3\_14 v.1 Cum gelidus decimam Sol aspirabit ad umbram  
 2 sumpturus mecum prandia parca veni ;  
 3 gaudia nam suadet magni natalis Iesu,  
 4 ut novus hic nobis candidus annus eat.  
 5 Hoc tua promittunt nobis data munera, et istam  
 6 spem, Martine, ratam tu facis, ergo veni.  
 7 Sic tibi sit felix, et eat sine nubibus annus,  
 8 cujus nunc aperis, proxime Jane, fores.

## AD JOANNEM DRACONEM.

S3\_15 v.1 Tertia Phoebaeos ubi traxerit hora jugales,  
 2 et fuerit nostra clausa palaestra manu,  
 3 balnea, loturi squalentia membra, petemus,  
 4 qualia tam castos posse decere putes.  
 5 Tune comes venies ? Quid enim Draco candide nolis ?  
 6 Candidulos etiam saepe lavare juvat.

## AD EUMDEM.

S3\_16 v.1 Deliciae, nostrumque decus, Draco candide, si vis  
 2 conviva ut veniam prandia lauta para.  
 3 Nam quia, heri cenam negleximus, esse fatemur  
 4 vix dignum venia quod patiare nefas.  
 5 Quod si nunc etiam bonus adventarit Ionas,  
 6 haud epulo vellem candidiore frui.

## PARTHENIO TRANQUILLO DELMATAE.

S3\_17 v.1 Non ego Phoebaea vinxi mea tempora lauro,  
 2 non etiam vatis nomine dignus eram.  
 3 Hoc tamen ex animo tibi gratulor, optime vates,  
 4 tam bona quod facta est lubrica diva tibi.  
 5 Sed quia, quod scribis, non Hessica tecta subisti,  
 6 ex illa nobis parte maligna fuit.  
 7 Vel quia sic Genius voluit natus, ab illo  
 8 quo sacra Diis geniti sidere turba sumus.  
 9 Vel quia non noto voluisti illudere amico,  
 10 quod nullo Clarium pectine tangat ebur.  
 11 Verum age per commune sacrum, Tranquille, Dearum  
 12 quas colis ; his Hessum ne latuisse voles.  
 13 Cras ubi purpureum Matuta retexerit orbem,  
 14 da videam vultus, docte poeta, tuos.

## IN PRAELECTIONE LIVIANA.

S3\_18 v.1 Ut ferus Ausonias bello quatit Annibal urbes  
 2 ut domat Hispanas Scipio uterque plagas.  
 3 Fulmina Trinacriae Marcellus, ut eripit Aetnae  
 4 atque ortus aperit Diva Arethusa tuos.  
 5 Praeterea ex omni certantes aequore classes,  
 6 litora ut effuso sanguine tota rubent.  
 7 Est pretium praeclarum operae cognoscere lector,  
 8 omnia quae magno Livius ore sonat.  
 9 Desine mentitae mirari proelia Trojae,  
 10 hic est Thebani fabula nulla rogi.  
 11 Hic mille Aeacidus, mille Hectoras esse putabis,  
 12 non alias tantis viribus orbis erat.  
 13 Quis pudor est totis non haec ambire medullis,  
 14 queis habet eximius littera scripta nihil.

## PETREIO

S3\_19 v.1 Ad tua ducturum comitantes prandia Musas,  
 2 dum video, nullae quae sequerentur erant.  
 3 Quaerenti causam, quaecumque sit illa Dearum  
 4 quae tamen haec misero redderet una fuit.  
 5 Tune deas, quas, te quoque teste, Petreius omnes,  
 6 cui vult arbitrio datque adimitque suo.  
 7 Aut igitur sine me prandē vel redde puellas,  
 8 quas mihi te totas surripuisse dolet.

## AD EUMDEM.

S3\_20 v.1 Bis tua pulsabam regali limina dextra,  
 2 insula pulsanti bis tua muta fuit.  
 3 Quam male jura regis commissi credita regni,  
 4 si tam deserta est insula saepe tua.  
 5 Ni fortasse tuas servet Servatius aedes,  
 6 jam puto de regno est alea jacta tuo.  
 7 Interea dulcis precor obliviscere Cosmae,

8 accipiunt nullas impia fata preces.

AD MICHAELEM NOSSENUM.

S3\_21 v.1 Callide turdorum docili pectuscula cultro  
 2 et philomelaeas exsecuisse nates.  
 3 Huc ades umbra diem decimae cum proferet horae  
 4 ponet et ingentes muta cathedra minas  
 5 prandia tum nostrae ponent tibi lauta ministrae  
 6 qualia cum Danae Juppiter esse volet  
 7 Ad quae cum geminis Aglaia sororibus isset  
 8 cumque suis mater nuda Cupidinibus.  
 9 Tam tibi non viles patinas tam bella paramus  
 10 fercula, tam nostrae est aurea vena gulae  
 11 pinguibus accedent bona condimenta catinis :  
 12 verba, joci, risus, scommata, probra, sales  
 13 vina bibes quaecumque voles, sive illa roganti  
 14 proximus exigua pro stipe vendit amor,  
 15 sive ea Thuringi manant de fronde racemi  
 16 in nos tota suas copia fudit opes.  
 17 Huc ades infernae pesti metuende Michael  
 18 Angelicum nunc te pectus habere doce.

AD MARTINUM HUNUM.

S3\_22 v.1 Ut tibi debemus multo quam solvere possim  
 2 plura, nec officii est gratia parva tui  
 3 sic quia te meritis non possum vincere, debes  
 4 ipse tibi victor constituisse modum.  
 5 Nam nisi quae certas habuit victoria leges  
 6 quam bona saepe fuit tam solet esse nocens.  
 7 Vince tamen, quia sic nobis erat utile vinci  
 8 gaudentem vinci vincere posse leve est.  
 9 Hos tibi deferimus titulos, Martine, quod olim  
 10 gloria non parvo constitit ista tibi.  
 11 I nunc Antaeos memora vicisse, poetis  
 12 quando decus victis Hercule majus habes.

AD EUMDEM.

S3\_23 v.1 Si fuit hesterna gratum tibi nocte jocari  
 2 Xenophilis hospes Regibus, Hune, veni.  
 3 Lauti bonus dederat Groningus fercula, verum  
 4 regia nos dabimus prandia, lauta minus.  
 5 Pauca ferunt nostrae nil praeter oluscula mensae :  
 6 pauca avido stomacho si potes esse, veni.

## IV

HELII EOBANI HESSI SILVARUM LIBER QUARTUS LYRICORUM  
ET ALIORUM QUORUMDAM PROMISCUUS

AD PHILIPPUM MELANTH.

S4\_1 v.1 Optime, namque negas passurum plura, Philippe,  
 2 nolis velisve noster omnibus modis.  
 3 Quando ita Saxonicum pulchre exercetis ad Albim  
 4 in ista monstra liberam tyrannidem,  
 5 quae Romana parit sed plus quam Lerna malorum  
 6 nos hic sedemus otiosi et abditi,  
 7 non tamen usque adeo in tenebris, qui lumine claro  
 8 fieri ista recte conspicemur et probe.  
 9 Sed tamen o nimium meliori sidere natos  
 10 adesse detur optimo ut negotio,  
 11 quam doleo, nisi forte lyrae doluisse pudendum est ?  
 12 Qui rebus hisce tam petendis arcear.  
 13 Seu procul objectum radiis illuminat orbem  
 14 latetve propter inferos Diespiter.  
 15 Vos mihi praesentes curae, vos pectoris hujus  
 16 ut una sic amica cogitatio.  
 17 Nunc pia veriloqui Martini scripta revolvens  
 18 bonis malisque nam mea refert nihil,  
 19 proloquor, inculcoque nec est cui cedere possim  
 20 Martinianae laudis in certamine.  
 21 O quali pietate virum, quam vincere dignum  
 22 manente flore vitae, mille Nestoras  
 23 nunc tua, quae possunt credi dictante Minerva  
 24 tuenda jussa litteris fidelibus,  
 25 nunc jucunda mei Spalatini cura reducit  
 26 amabilem illius necessitudinem.  
 27 Nunc subit invicti gravitas non improba Phacchi  
 28 fidesque certa semper usa teste se  
 29 nunc ego praecipue vobiscum vivere vellem  
 30 cum sic habetis libera istic omnia  
 31 frivola pontificis contemnere regna tyranni,  
 32 ut audeatis et queatis fortiter  
 33 et merito quis enim rationis lumine fultus  
 34 bonaque mente Christianus approbet  
 35 quae ferus exhaustum, jam non pater, ille per orbem  
 36 venena spargit, et minatur fulmina ?  
 37 Fulmina molliculum non decussura papaver  
 38 o nos metu deterritos inutili  
 39 siste tamen justum Musa indignata dolorem  
 40 res est agenda grandioribus modis,  
 41 his age nunc nostro numeris blandire Philippo  
 42 inter sedenti musicos cupidines.  
 43 Gratulor Albidibus Venerem sociasse Camenis,  
 44 Philippe, te commune et hoc mecum tibi est.  
 45 Dii, precor, hunc auctent gratum Musis Hymenaeum  
 46 parens ut esse prole te digna queas.

## AD JUSTUM JONAM STERILES ESSE MUSAS.

S4\_2 v.1 Si quoties laudas mea carmina dulcis Iona,  
 2 feram stateras quot dedisse Choerilo  
 3 narrant Cecropidas, quis Regum ditior alter  
 4 aequaverit me copiarum mercibus.  
 5 Sed tamen hoc fatuis gratum solet esse poetis  
 6 quicumque laudis aura flante pascimur,  
 7 esurit interea Phoebus frigentque Camenae  
 8 et inde laudas improbanda carmina.  
 9 Esuriens culicem scripsit Maro, Cirin, et Aetnam.  
 10 Satur duces ad arma Dardanos vocat  
 11 proelia ranarum cecinit jejunos Homerus  
 12 Trojam repletus et laborem Ulysssei.  
 13 Nos quoque qui steriles vacui torquemus iambo  
 14 heroa quemlibet canemus aurei.  
 15 Quid tamen ista juvat despectae incommoda Musae  
 16 queri, negante se Dea volubili ?  
 17 Illa quidem signis ut aberrat semper ab ipsis  
 18 bonis iniqua est, aequa semper improbis  
 19 nec pudet incertam quosdam dixisse poetas  
 20 ea nihil cum constet esse certius.  
 21 Nam si non certa est, quod adhuc non errat in Hesso,  
 22 sinitque talibus premi ludibriis.  
 23 Quem vultu numquam vidit ridente, sed auctis  
 24 videnda terga praebuit laboribus.  
 25 Cui Deus ingenium favit mediocre, sed illud  
 26 fortuna rebus arcet indecentibus.  
 27 Nam qui per superos victura poemata pangat,  
 28 qui vix labore vivit improbo satis.  
 29 Tu tamen haec laudas, quae, tamquam somnia, nullo  
 30 nec hoc agentibus fluunt negotio.  
 31 Nec laudare tibi satis est quae digna videntur,  
 32 virtus remunerata nulla non tibi est.  
 33 Magna tuis meritis debetur gratia Iona,  
 34 beate Iona, sed future ditior.  
 35 Hoc tuus ille animi spondet vigor altus, et extra  
 36 convexa mundi jam propectus limina,  
 37 macte animo terrena nihil meditante, nec ullis  
 38 obnoxio libidinum Sirenibus.  
 39 Magna tua nobis spes est pietate futurum,  
 40 ut arceatur haec tenax necessitas.  
 41 Quam tamen usque adeo patienter in omnia passi  
 42 solamur hisce cumque qualibus modis.  
 43 Nam nisi sint quaedam miseris solacia Musis,  
 44 labore pectus hoc malisque occumberet.

## AD VITUM VERLERUM VIRTUTEM INVIDIAE OBNOXIAM ESSE.

S4\_3 v.1 Dulcis amicitiae nostrae comes, unica verae  
 2 fidelitatis gloria.  
 3 Optima pars vitae melioris, denique vitae,  
 4 Beate Vite, candida.  
 5 Quem nemo bonus odit, amat, venerantur, honorant,  
 6 quicumque non sunt pessimi.  
 7 In viridi nobis nuper spatiantibus umbra,  
 8 propter susurrantes aquas,

9           multaque de studiis consueto more locutis,  
10                       de Livido sermo incidit.  
11       Questus eras, memini, quam te sine crimine livor  
12                       morsu flagellet improbo.  
13       Ne doleas, virtus haec praemia sola meretur  
14                       apud furentem Zoilum.  
15       Vidit et indoluit summis te laudibus auctum,  
16                       ille ille cumque quisquis est.  
17       Doctus es, et facilis floret tibi gratia linguae,  
18                       quis Livor hoc tantus ferat ?  
19       Comis et urbanus cum sis, constansque piusque,  
20                       venas miser depascitur.  
21       Per fora, per plateas, per compita, templa, viasque  
22                       laudaris hoc livor dolet.  
23       Denique cuncta tibi ad votum succedere spectans,  
24                       paene eviratus concidit.  
25       Nil miserabilius rebus mortalibus ortum est,  
26                       sic semper ardente invido.  
27       Ardet et occulto miseris calet igne medullas,  
28                       Cupido non tantum furit.  
29       Saepe graves misero flammae minuuntur amanti,  
30                       hic igne numquam liber est.  
31       Non majora aliquis dederit tormenta Perillus,  
32                       non impius Mezentius.  
33       Et tantum, res mira, sibi nocet et dumtaxat  
34                       se carnifex eviscerat.  
35       Aspice quam torvo distortet lumina vultu,  
36                       ut fictiles larvae solent.  
37       Quales ire ferunt furias nocturna moventes  
38                       lethargicis insomnia.  
39       Aspectum metuit vitam sine crimine agentis,  
40                       ut glauca solem noctua.  
41       Talem, crede mihi, cum tu patiare ferasque  
42                       sum passus ipse et nunc fero.  
43       Quod si perstiterint non desinere esse molesti,  
44                       utrumque nominabimus.  
45       Ardeat interea quantum volet, ardeat, et se  
46                       Livore inani torqueat.  
47       Nos alimenta igni dabimus virtutibus istis,  
48                       nos gratia quarum fugit.  
49       Cumque leget, si forte leget, quas scribimus umquam  
50                       sacro puellas pectine,  
51       aspiciet nostrae fidei documenta vicissim,  
52                       suspendet et se forsitan.  
53       Tu prior occurre illi stomachumque movebis,  
54                       praeliminari pagina.  
55       Huc quoque respiciet nec enim legit omnia livor,  
56                       Vitumque rursus perleget.  
57       Eheu quos gemitus dabis hic maestissime Livor,  
58                       tam firmo amore territus.  
59       Quin age ne garri contra, neu perfide latres,  
60                       ni perditum iri te voles.  
61       At tu quicumque es lector sine labe futurus,  
62                       ignosce Vito ac Helio.  
63       Est opus audaci muscas arcere flagello,  
64                       ne saepe pungant libere.  
65       Irrequietum animal rostro mordente timendum,  
66                       facessat in rem pessimam.

67 At tu nostrorum studii vitaeque sodalis,  
 68 quo vix magis quicquam placet.  
 69 Ne doleas si te malus insectatur, et audet  
 70 Livore dignum credere.  
 71 Causa tua est virtus, numquam caret illa malignis  
 72 qui detrahant osoribus.  
 73 Quin age deride, coeptoque insiste labori,  
 74 Codro crepabunt ilia.

AD JOANNEM LANGUM ERPHURDIANUM  
 UT SUB VERNUM TEMPUS ANIMUM REMITTAT A SEVERIORIBUS STUDIIS.

S4\_4 v.1 Jam ver amoenum dotibus aureis  
 2 informat annum, jam viridi coma  
 3 pubescit orbis, jam renidet  
 4 omnis ager meliore vultu.  
 5 Natura rebus spirat et influit,  
 6 vis gratiarum luxuriantium.  
 7 Nativa ridentes Camenas  
 8 fronde Venus viridi coronat.  
 9 Vides ut omnis germinet arbutus,  
 10 decus resumat silva, nec areant  
 11 flores, et arvaes puellae  
 12serta legant, aviumque dulci  
 13 percussus aer murmure consonet  
 14 concordia rerum variantium.  
 15 Hinc rivus agnatus susurro  
 16 auribus Aonidum placenti  
 17salutat herbas, hinc virides aquas  
 18 opacat arbor, parte alia viret,  
 19 gratum vel intonso sedile  
 20 Pieridum et citharae magistro.  
 21 Potes sub istas orbis amabiles  
 22 latere dotes, semper et anxiis  
 23 curis potentum litterarum  
 24 sollicitam cruciare mentem ?  
 25 Gaudet remissis Musa laboribus,  
 26 nec semper idem est impetus omnium,  
 27 nec debet esse omnes per artes,  
 28 grata quies solet esse magnis.  
 29 Alterna rebus, Lange decus meum,  
 30 decus bonorum desere tristium  
 31 fomenta curarum labores.  
 32 Si tibi nec grave nec molestum est,  
 33 descende nobis hic tibi dulcium  
 34 sodalium liberrima copia,  
 35 risusque grati non deerunt,  
 36 tempora ne periisse furtim  
 37 sero queramur, non redeunt enim  
 38 quaecumque labens abstulit hora, nec  
 39 nostrae quod abscedit juventae  
 40 restituet veniens senectus.

AD TEMONIUM DOLET QUOD IN SEPTENTRIONE VIVAT.

S4\_5 v.1 Arcton remotus sub gelidum procul,

2 qua dura septem terra trionibus,  
 3 subjecta piscosos Borussos,  
 4 terret Hyperboreis pruinis.  
 5 Huc huc remotus qua miserabilem  
 6 uterque vitam, quod studiis vacet  
 7 pingui voluptantes in aula  
 8 vivimus, heu pudor est fateri.  
 9 Huc huc remoto quid mihi litteras  
 10 laudas beatas ? Quid studium refers,  
 11 doloque tentas efficaci,  
 12 degenerem stimulare mentem ?  
 13 Jam prisca cessit, jam jacet et situ  
 14 virtus, et altis fracta doloribus,  
 15 vix illius quicquam relictum est,  
 16 Hessiacaе generositatis.  
 17 Veni novenas cum puer ad deas  
 18 aetate vix dum pubere, tum mihi  
 19 radice succrevit benigna,  
 20 quae modo spes miserum fefellit.  
 21 Si quando doctos audieram viros,  
 22 famaue dignum quicquid erat bona,  
 23 ardore sublimi ferebar,  
 24 raptus, ut exanimata Phoebas.  
 25 Tu nunc eodem lenta cupidine  
 26 quid esse credis pectora ? Quid mihi  
 27 regni magistratus Latini,  
 28 quem nihil ista movent, recenses ?  
 29 Quas docta jactet Felsina litteras,  
 30 ut illa laudes vicerit Atticas,  
 31 regnante deducis Lyaeo,  
 32 garrulus immodico Falerno.  
 33 Cur non severo sobrius otio,  
 34 ad praesidentes hoc agis arbitros ?  
 35 Jejuna mens consulta rerum est,  
 36 nox sine iudicio est merumque  
 37 causam notavi, dum calet et sibi  
 38 conjuncta mens est, posse trahi putas  
 39 quocumque facunda disertus,  
 40 mellifluaque voles loquela.  
 41 Sic est, amorem sentio fervidum,  
 42 fas sit fateri Palladis Italiae,  
 43 jam quicquid est vitae peractum,  
 44 paenitet, et veteris negoti.  
 45 Quis me citatis impetus Africis,  
 46 quae mixta saevis vis Aquilonibus,  
 47 hinc tollet ad gentem Latinam,  
 48 qua stipico meret aere Pallas ?  
 49 Non dives auro, non Tyrio nitens  
 50 superbus ostro, quid faciam precor  
 51 investis et pauper poeta  
 52 oro canam stomacho ciente ?  
 53 Sed quis canenti propulerit famem ?  
 54 Versusne vates esse queam meos,  
 55 o saecula priscis duriora,  
 56 esuriet modo pauper Orpheus.  
 57 Quid restet ergo consule si potes,  
 58 quo tam beato sidere perfruar,  
 59 quod Sarmatis Hessum relictis,



60 Felsineos ferat ad penates.

NON SEMPER CURIS AC LABORIBUS INSISTENDUM.

S4\_6 v.1 Quisquis aeterno violenta cursu  
 2 otia exercet, requiemque nullam  
 3 rebus admiscet, nimia necesse est  
 4 mole gravari.  
 5 Sicut arentes nimio calore  
 6 solis aestivi juvat imber agros  
 7 saepe tempestiva graves levat re-  
 8 -missio curas  
 9 ut nec aeternum vigilare quisquam  
 10 nec potest dormire, sed haec vicissim :  
 11 sic suos cauta sapiens labores  
 12 temperat arte.  
 13 Quicquid alterna requie carebit  
 14 haud diu firmum poterit manere ;  
 15 haec novat vires, parat aegra justo  
 16 membra labori  
 17 fessus audacem juvenis palaestram  
 18 linquit interdum repetitque rector,  
 19 saepe mutatur mare, nulla semper  
 20 navis in alto est.  
 21 Ecce nunc plectro citharam canoro  
 22 pulsat, et raptam queritur puellam :  
 23 arva nunc magnae spatiosa Trojae  
 24 lustrat Achilles.  
 25 Nunc bonis caros epulis amicos  
 26 accipit, nunc merce rogata multa  
 27 arma detrectat, fera nunc in hostem  
 28 bella capessit.  
 29 Ille monstrorum domitor potentem  
 30 fertur interdum posuisse clavam  
 31 et sub invicto tenuisse mollem  
 32 pollice fusum  
 33 cautus errantem tenuit phaselum  
 34 nec fuit semper sapiens Ulysses.  
 35 Solus et semper sapit ille magni  
 36 conditor orbis.  
 37 Nos decet quandoque vacare curis  
 38 et parum stultos fieri, et remissas  
 39 ingeni vires recreare, et aegri  
 40 corporis artus.  
 41 Ille magnarum gravis ordo rerum  
 42 illa vis caeli superumque virtus  
 43 res agit nostras, hominesque certa  
 44 lege gubernat.  
 45 Nemo vim fati volucrique caelo  
 46 intulit, quamvis Deus illa nostris  
 47 temperat motus precibus, vetatque  
 48 perdere terras.  
 49 Nemo praescriptum sibi transilivit  
 50 caelitus finem, numerumque vitae  
 51 quicquid hic infra est ubicumque rerum  
 52 pendet ab astris

## AD JONAM IN HOSTES STUDIORUM.

S4\_7 v.1 Jona bonorum gloria nominum  
 2 decusque nostrum, cui Deus obtulit  
 3 florem juventae possidentis  
 4 omnia quae faciant beatum.  
 5 Vidi et relegi qualia scripseris  
 6 linguae Latinae quam doleas vicem  
 7 sic heu petitae barbarorum  
 8 morsibus, invidia, veneno.  
 9 Cladem ruina non satiabilem  
 10 ulloque vinci milite nesciam  
 11 amice deploras fideli.  
 12 Pectore conquererisque juste  
 13 ut ille rapta conjuge Thracius  
 14 lyrae magister flebilibus modis  
 15 frustra recantatos amores  
 16 Dite preces fugiente luxit.  
 17 Haec certa lex et dura necessitas  
 18 quamvis iniqua est, sed tamen hoc habet  
 19 ut pessimi semper bonorum  
 20 nominibus studeant nocere.  
 21 An forte nescis hanc miserabilem  
 22 cladem bonorum ? Numquid et antea  
 23 expertus insanum furorem  
 24 prodigia ista cruenta rides ?  
 25 Quando sibi ipsis carnificina sunt  
 26 se praeter ipsos non aliquem premunt  
 27 ceu plena flammaram procellis  
 28 pallida Vesuvii vorago.  
 29 Aut Aetna tristis regia fulminum  
 30 ipsam suis se conficit ignibus  
 31 quos nullus exstinguat refuso  
 32 Juppiter Oceano per orbem.  
 33 Sinamus istos desipere et suis  
 34 perire fatis, nos fatuas aves  
 35 linguas moventes rideamus  
 36 progeniti meliore fato.

## AD CHRISTOPHORUM HACUM HERICHUNTIUM POETAM LYRICUM.

S4\_8 v.1 At te Deorum munere caelitum  
 2 plenum potenti pectora spiritu  
 3 tandem mihi placata nostris  
 4 sidera constituere terris.  
 5 Cognate Musis quisquis es, haud enim  
 6 te, scripta praeter carmina, novimus  
 7 dignus Jovi cantare, plectro  
 8 tangis ebur lyricum suavi.  
 9 O prima terrae laus Herichuntiae  
 10 tam gratioso dic ubi pectine  
 11 prodisse credam, dic per omnes  
 12 te superos precor, o amice.  
 13 An matre Musa natus Apollini  
 14 reddis vetusti pectus, et os Lini ?  
 15 An quintus ex pavone prodis

16 quem Samius docuit magister ?  
 17 Certe per alti te juga Libethri  
 18 duxere Musae sacraque tempora  
 19 cinxere laurenti corona  
 20 Orphea quae decuisse posset.  
 21 Quem non moveret tanta sonoritas  
 22 et vis amoeni carminis, et vigor  
 23 sive ille Gaetulos ferina  
 24 duritiae superet leones ?  
 25 Sive inquieta saevior Adria  
 26 et saxa vincat robore pectoris  
 27 saltabit ut Bacchae furentes  
 28 Hace tuo saliente plectro.  
 29 Docta notatum carmen arundine  
 30 missumque nobis legimus, et tibi  
 31 gratamur, et faustos rogamus  
 32 vive dies, memorande vates

## AD EUMDEM RESPONSIIO.

S4\_9 v.1 Nec tu credideris poscere mutuum  
 2 nec me non aliquo iudicio tuas  
 3 laudes ad lyricam dicere barbiton  
 4 virtus laude nitet sua.  
 5 Me summum gravido tollat in aera  
 6 versu fama mori nescia, nec meos  
 7 livor post cineres ipse quieverit :  
 8 virtuti invidia est comes.  
 9 O qui me superis misceat, aut parem  
 10 caelo semideis praeferat omnibus  
 11 unus Maeonides non satis est mihi  
 12 virtus se quoque major est.  
 13 Mulos alterutrum quis scabere impedit  
 14 infecundum animal ? Desine, talibus  
 15 Musas opprobriis nemo notaverit :  
 16 virtus mens sibi conscia est.  
 17 At te laude nova laus manet amplior,  
 18 si quod velle canis, laudi operam dabis  
 19 atque hoc fata modo fugeris improba  
 20 virtus morte caret. Vale.

## AD EURICIUM CORDUM INVITAT AD DEAMBULATIONEM.

S4\_10 v.1 Dum te quietum ignobile otium juvat  
 2 Musaeque nunc primum graves  
 3 umbraque forte languidus domestica  
 4 somnum repugnantem vocas  
 5 me prata rivis undecumque lucidis  
 6 potata, et arborum situs.  
 7 Amabilesque veris et Favonii  
 8 novum spirantis gratiae  
 9 quare, o amice Corde, si libet, veni  
 10 visure mecum sospitem.  
 11 Gliscentis auram veris, et novum decus,  
 12 ciere quod possit tibi  
 13 somni fugacis insuave poculum

14 plus quam diurnae plumulae.

AD EUMDEM.

S4\_11 v.1 Si te nocturna juvit hora Corde mi,  
 2 quid est quod inde dormias.  
 3 Veni, petamus, ut fluenta lucida  
 4 rurisque delectamina  
 5 quod si Lyaeo maestus hesterno jaces  
 6 nil sanat exedra magis.

AD JOANNEM RHAGIUM AESTICAMPIANUM

S4\_12 v.1 Hesterna, Rhagi, prandia si velim,  
 2 brevi apparatu constiterint licet,  
 3 mutare cum mensis Deorum  
 4 incelebri lateam sub aevo.  
 5 O cincte lauro tempora virgine  
 6 virtute felix insuperabili  
 7 quo pergis hinc ? Quo te reducis  
 8 vultibus heu procul ex amicis.  
 9 Diem vel unum plus nimio fuit  
 10 manere tecum ? Quo fugis impetu  
 11 tamquam citato, vix decebat  
 12 sic Lapithas fugere efferatos.  
 13 Sed ordo rerum sic jubet improbus  
 14 non esse firmum quod placuit diu :  
 15 contra, quod odimus manere  
 16 ceu glutino remorante fixum.  
 17 Fortuna frustra nos tamen occupat  
 18 licet sub Arcton deferat ultimam  
 19 non te mihi celabit umquam  
 20 pectore non trahet ex amico.  
 21 Ut ora praesens non videam tua,  
 22 mentem videbo, mente ero proximus,  
 23 mens quolibet tuto vagatur  
 24 legibus impeditata nullis

IN PROFESSIONE CHRISTIANARUM HEROIDUM.

S4\_13 v.1 Phoebus Australem fugiens ad axem  
 2 jamque demersas aditurus arces,  
 3 nuper ardentis sinuosa linquit  
 4 brachia cancri.  
 5 Languet aestivi species decoris,  
 6 semiconcisum positura cultum  
 7 vestibus vernis spoliat recedens  
 8 gratia silvas.  
 9 Ne tamen totum posuisse credas  
 10 quicquid est usquam melioris anni  
 11 temporis dudum viden, ut peracti,  
 12 messis in herba est ?  
 13 Ver novum quicquid veniens recludit,  
 14 quicquid aestivi peperere soles,  
 15 reddit autumnno veniente pleno

16                   copia cornu.  
 17   Corbibus plenis Cererem colonus  
 18   congerit, pomis gravidae laborant  
 19   arbores, pendent virides ab alto  
 20                   palmite botri.  
 21   Tam bonum suadet meliora tempus,  
 22   queis nives cedant hiemis futurae,  
 23   condere, et nuper subiti laboris,  
 24                   carpere fructus.  
 25   Nos quoque a rebus similem trahentes,  
 26   ordinem fas est generosa pubes,  
 27   rite mutatis studiis benignas,  
 28                   subdere Musas.  
 29   Hactenus messis Ciceronianae  
 30   legimus spicas, spatiosa passim  
 31   arva lustrantes pretium laboris  
 32                   dulce tenemus.  
 33   Ecce nunc blandae, pia turba, Musae  
 34   virgines castae, teretes puellae,  
 35   offerunt sese venientibusque  
 36                   mollia rident.  
 37   Lector, exaudi, pie lector, audi.  
 38   Quis vetat ? Quis te prohibet ? Quis obstat  
 39   dulce Musarum subiisse dextro  
 40                   sidere limen ?  
 41   Virgines quando tibi tam pudicas,  
 42   atque tam sancta pietate fultas  
 43   scribimus, vix ut veterum novas He-  
 44                   -oidas aequent.

AD VALENTINUM TYPELIUM NE ADVERSIS SUCCUMBAT.

S4\_14   v.1   Ne forte credas dimidium mei  
           2   curas inertes inter et improbas.  
           3           Oblivionem ferre de te  
           4           forte meam potuisse Musam.  
           5   Chartas resumit nuper inutiles,  
           6   et pauca, quamvis non lyrico solet  
           7           plectro, sed alterno sonare,  
           8           carmina vix properata mittit.  
           9   Ecquid beatis aedite gratiis,  
 10       divis, Typeli care, faventibus,  
 11       curas et insanos labores,  
 12       non animo pateris quieto ?  
 13   Maestus decorum conteris otium,  
 14   doles peractum non revocabile,  
 15       sic sic perit vernans juventa,  
 16       ante diem subit, heu, senectus.  
 17   Curae frequentes et labor et dolor,  
 18   corpus perurunt, ut nova Sirius  
 19       exhaurit implacatus arva,  
 20       Procyon ut gravidas aristas.  
 21   Tu vero noctes atque dies gravi  
 22   consumis aestu pectoris anxii.  
 23       Tamquam dolor prodesse possit  
 24       et miseram relevare sortem.  
 25   Quamquam per omnes te superos precor,

26 qua sorte pressus ? Quam miserabili ?  
 27 Possis ut accusare recte,  
 28 et merito graviter dolere.  
 29 Sicut palustrem flectat arundinem,  
 30 quantumlibet vis parva Favonii,  
 31 pinus resistit fortiores  
 32 despiciens Cerealis Euros,  
 33 sic tu minacem labilis impetum  
 34 perferre fortis non potes, et gravi  
 35 plangore fortunam laccessis,  
 36 tale nihil prope te merentem.  
 37 Nunc laeta ridet, nunc fugit aspera,  
 38 versat, reversat cuncta potens hera.  
 39 Nulli diu constans amica,  
 40 orbe super volucris rotata.  
 41 Sic universae molis imaginem  
 42 rerumque vultus exprimit omnium :  
 43 nunc fulminum vis alta saevit,  
 44 nunc placidi rediere soles.  
 45 Jam nix in altis candida rupibus,  
 46 jam vernat ima valle virens rosa,  
 47 jam frigus est argente bruma,  
 48 jam rapido calet annus aestu.  
 49 Nec semper aetas una hominum manet,  
 50 nec semper unus rebus in omnibus  
 51 splendor, status, natura, vultus :  
 52 cuncta vicem variant per orbem.  
 53 Ergo querelis pone modum tuis,  
 54 effeminatum pone animum, precor,  
 55 et te recognoscens memento  
 56 esse virum, vir ut esse possis.  
 57 Sic te per istos candida turbines,  
 58 Fortuna spectans prosperet, et locet  
 59 inter beatos quos amavit,  
 60 sponte dolens dolet impudenter.

CELEBRAT NATALEM VERGILII

S4\_15 v.1 Quisquis Octobres veneraris Idus,  
 2 esse nascenti celebres Maroni  
 3 noveris, nec te fugitiva fallant  
 4 tempora, lector.  
 5 Iduum magni colimus Maronis,  
 6 luce natalem, bona verba, quaeso,  
 7 lux bona affulsit, procul hinc profanum  
 8 vulgus abesto.  
 9 State praecinctorum juvenes coronis,  
 10 laureis frontem decorate sertis,  
 11 et choros circum sacra, cum novenis  
 12 ducite nymphis.  
 13 Vester hic magno memorandus orbi,  
 14 nascitur vates, celebrisque vitae  
 15 spiritus haurit, date plena jussis  
 16 pocula dextris.  
 17 Quisquis est Musis adeo malignus,  
 18 ut quod ignorat prohibere tentet,  
 19 absit, et Musis odiosa solus,

20                   otia ducat.  
 21       Vos decet magnum celebrare vatem,  
 22       nobilis primum studii parentem,  
 23       optimus quem quisque colit, sed omnis  
 24                   pessimus odit.

INVITAT AMICOS AD LAETITIAM LIBERIORIS CONVIVII.

S4\_16   v.1       Curae tenaces, et nimis anxiae,  
           2       valete tandem sollicitudines,  
           3       cras festa Baccho sacra amici,  
           4       laetitia domino paramus.  
           5       Adeste vernis tempora floribus,  
           6       circumligati nectaream comae  
           7       spirent odorem, nunc licebit  
           8       quicquid erit libitum sodales.  
           9       Assueta nostris Cynthia montibus,  
 10       cervam volanti fixit arundine,  
 11       nobisque commisit ferendam,  
 12       deliciis nemorum puellis.  
 13       Regina Amorum Cypris amabili,  
 14       stupenda vultu venit, et improbum  
 15       telo puellum non inertum,  
 16       nescio quid monuisse visa est.  
 17       Heu quantus illum fervor et impetus ?  
 18       Quae flamma ? Quae vis impatientiae  
 19       eviscerabit, quem sagittis  
 20       ille suis puer assequetur ?  
 21       Cavete amici, sub specie boni  
 22       miscet venenum, pectora fortium  
 23       furtim fefellit multa, doctus  
 24       insidias struere efficaces.  
 25       Vos forma et aetas, et juvenis decor,  
 26       aptos jocos fecit amoribus,  
 27       vos Gratiae lascivientes  
 28       conciliant Veneri superbae.  
 29       Cavete, amici, mobile proxima  
 30       telum e fenestra librat amor, neque  
 31       retractat exsertum pharetra,  
 32       sed jacet et ferit imparatos.  
 33       Io Lyaeum nunc potius patrem  
 34       cantemus inter pocula, concinant  
 35       vinum coronantes ministri,  
 36       quale puer Phrygius tonanti.  
 37       Laetemur eia, tristia sint procul  
 38       frontis severae nubila, deperit  
 39       quicquid voluptati negatur :  
 40       vivere tristitia (..), vita est. (vers faux)

JOANNI OSTHENIO EQUITI POMERANO

S4\_17   v.1       Daulias verno philomela cantu,  
           2       quam sonis consors paribus lacescit,  
           3       saepe vocali fugat impotentem,  
           4               guttore vitam.  
           5       Conjugem turtur viduata plorans,

6 surculo numquam sedet in virenti,  
 7 voce respondet tamen haec amanti  
 8 saepe palumbo.  
 9 Proximum rauco canit ore Phoebum,  
 10 nuntius lucis, repetitque crebris  
 11 vocibus carmen resonum tenentis  
 12 proxima Galli.  
 13 Obticit numquam fluvialis anser,  
 14 audiens vocem socii canoram  
 15 cominus, quem nec pudet indecoro  
 16 clangere rostro.  
 17 Alites prisca Palamedis audi,  
 18 arduum certo numero volantes,  
 19 parvus alludit quibus in marinis  
 20 vipio stagnis.  
 21 Voce clamosa gemebunda Coccyx  
 22 frondeum complet nemus, et veretur  
 23 ne suas forsitan aliena vincant  
 24 carmina voces.  
 25 Quadrupes notis etiam resultat  
 26 vocibus, tauros videas salaces,  
 27 lata mugitu resonare circum  
 28 pascua rauco.  
 29 Omne responsis animal suetis,  
 30 gaudet, et contra resonat, nec umquam  
 31 sponte mutescit cupideque voces  
 32 audit amicas.  
 33 Dulcis Osthene nec avis, nec ipse  
 34 quadrupes, verum decus et voluptas,  
 35 spiritus sacro Clarior moventis  
 36 numine vates.  
 37 Cur nihil nostris solita Camenis,  
 38 vocere spondes animose vates,  
 39 heu mihi mutae merito vocande,  
 40 rana Seriphi.

AD GENEROSUM HERMANNUM COMITEM A NOVA AQUILA COMMENDAT AMICUM.

S4\_18 v.1 Princeps ab alto sanguine nobilis,  
 2 Hermanne, gentis laus et honor tuae,  
 3 rebusque fortunae beate  
 4 clarior ingenuas per artes,  
 5 quem fama tantis laudibus evehit  
 6 quantis vel aequum semideos fuit  
 7 vixisse, nec nostrae tacebunt  
 8 Pierides, nisi te pudebit.  
 9 Splendore motus nominis incluti,  
 10 te non inertum carmine dicere  
 11 si forte favissent volebam  
 12 nunc mihi difficiles Camenae.  
 13 Verum quod egi saepe negotii  
 14 rejecit horam semper in ultimam  
 15 occasionis aucupatae  
 16 frustra animo cupiente casus,  
 17 donec medendi munere nobiles  
 18 thermas petentem, quo neque doctior  
 19 nec carior mi contigisset



20 his licitum est onerasse nugis.  
 21 Nugis Petreium sed melioribus  
 22 dignum ferendis, cui sua gratiae  
 23 lascivientes contulerunt  
 24 et faciles sua dona Musae.  
 25 Nunc te Deorum cura faventium,  
 26 Hermanne, per te per superos precor,  
 27 hac laude credas esse dignum  
 28 quem tibi non temere probatum.  
 29 Commendat Hesus non minimus tuae  
 30 virtutis admirator, et omnium  
 31 postremus idem sacra Phoebos  
 32 Pieridumque choris ferentum.  
 33 Quod si probatum fata Petreium  
 34 vestraque dignum laude reduxerint,  
 35 Dii qualibus te gratiarum  
 36 ponderibus velut obruemus.  
 37 Vale beatis nate parentibus  
 38 feliciori sidere, te decent  
 39 virtute florentes coronae :  
 40 floret enim sine fine virtus.

JO. OSTHENIO SUO.

S4\_19 v.1 Paeligna quales Calliope modos  
 2 vates ab alta qualia Bilbili  
 3 lusit vel aurato Tibullus  
 4 carmina digna canenda plectro,  
 5 tales juvena vix modo pubere  
 6 certante priscis carmine vatibus  
 7 deducis, Ostheni, Camenas  
 8 huc procul ex Heliconis antro.  
 9 Quis te beatis quis puer intulit  
 10 locis ? Deorum quis tibi nectare  
 11 os irrigavit ? Quis potenti  
 12 pectore spiritus involavit ?  
 13 Seu voce molles blanda elegos canis  
 14 lyramve plectro tangis eburneo  
 15 solatus insanum furorem  
 16 imperium Veneris retrectans.  
 17 Decent canentem cum cithara fides  
 18 decent coronae sertaque laurea  
 19 decent puellares querelae,  
 20 heu, nimium Veneri placentes.  
 21 Jam te sub altis carmine rupibus  
 22 tristi querentem nunc bene nunc male  
 23 Cupidinem vestris faventem  
 24 matre Dea statuente furtis.  
 25 Stupent latentes in latebris ferae  
 26 sicut potentem cantibus Orphea  
 27 lupique silvestres, et ursae  
 28 auribus attonitis morantur.  
 29 Si fata te non invida provehent  
 30 in longa vitae tempora, quis feret  
 31 porro futuri spiritus vim  
 32 major enim superabit, aevi.  
 33 Nunc illud alto semen ab aethere

34 ne virulentis obrue luxibus  
 35 mens fluctibus demersa nullis  
 36 maxima fortibus est voluptas.

AD RECTA STUDIA ADHORTATIO, SENARII JAM.

S4\_20 v.1 Quo vana tandem mollium dicta aurium ?  
 2 Quid usque nugas tam probare rancidas ?  
 3 Modumne tandem barbaris ineptiis ?  
 4 Et improbum domabimus Cupidinem ?  
 5 Nam quid repertis frugibus glandem sequi  
 6 uvisque praestat Acheloa amare cornua ?  
 7 Dulces Ephebi dum juventa florida est  
 8 dum vernat aetas, et viret pubes calor  
 9 multum interest, quam quisque sectetur viam  
 10 qualem senecta vel probet vel non probet  
 11 sed, heu, Deorum quae sit inclementia  
 12 mala approbamus, improbamus optima.

AD CORDUM INVITAT AD MELIOREM VITAE INSTITUTIONEM

S4\_21 v.1 Satis dierum, Corde, fugacium.  
 2 Tenore vitae trivimus anxio  
 3 dum magnus obliquum pererrat  
 4 signiferum Deus, et propinqua  
 5 salutatur orbem luce Diespiter.  
 6 Trivisse metam nunc dubiam satis  
 7 nunc tempus est summam peractae  
 8 reddere cum ratione vitae.  
 9 Si longa rebus tempora ludicris  
 10 donare juvit, pauca decet bonis  
 11 cessisse, ne dum jussa Divum  
 12 negligimus sacra, negligamur.

IN LIBELLUM QUENDAM DE LEGIBUS.

S4\_22 v.1 Lector si vacat, et cupis videre  
 2 quae sit iuridicae professionis  
 3 virtus, regula, meta, quae sacrarum  
 4 legum praemia, iudicum dolosas  
 5 falsorum cathedras, iniquitates,  
 6 fraudes, pragmata pestilentiarum,  
 7 uno tamque brevi damus libello,  
 8 ut totum una anima haurias legendo.

DE MARTE ET VENERE AMANTIBUS.

S4\_23 v.1 Quae per injectas pueri sagittas  
 2 perdidit multos, genitrix amorum  
 3 se quoque invicto pueri potentis  
 4 perdidit arcu.  
 5 Quid puer saevis generose ? Parce,  
 6 vulneras matrem, quibus hanc petisti  
 7 rectius mittes in Adonicidam

8                   spicula Martem.  
 9   Sed tuo fixus prius ille telo  
 10 armaque et vultus posuit minaces  
 11 et tuum supplex tibi factus uni  
 12                   numen adorat.  
 13 Nuper armorum Deus ille inermis  
 14 horret audaces pueri sagittas,  
 15 heu in irata genitrice quanto  
 16                   saucius ictu.  
 17 Dure Mars, vultus ubi nunc superbi ?  
 18 Arma quid prosunt ? Trahe quicquid usquam est  
 19 virium, si fors dominam potentem  
 20                   vincere possis.  
 21 Stabis imbelli similis puellae,  
 22 ipsa praescribit tibi jussa victrix  
 23 diva quae totum moderatur istis  
 24                   legibus orbem.

## AD MICHAELEM NOSSENUM.

S4\_24   v.1   Dum tu lauta tuis convivis prandia ponis  
           2                   pacis minister Angele.  
           3   Nos quoque lauta minus, sed non pejora, sed ipsis  
           4                   divis placitura prandia.  
           5   Prandia formosis celebravimus aucta puellis,  
           6                   o Juppiter quae qualia  
           7   sed quia tu poteras sine Regibus esse Michael  
           8                   iratis parce Regibus.

## AD EUMDEM.

S4\_25   v.1   Quod pro scommatibus jocos remittis  
           2   cultos pro rudibusque frigidisque  
           3   pro tam vilibus utiles, facetos,  
           4   pro vanis levibusque ponderosos :  
           5   hoc quod te decuit facis Michael  
           6   quod nostrae potuit decere leges  
           7   consuetudinis, hic fidele pectus  
           8   hic agnoscimus, aureosque mores  
           9   qui carum mihi te meisque Musis  
 10   fecerunt, faciuntque sed quid hoc est  
 11   quod Musis, ais, excidisse nostris ?  
 12   Tamquam scilicet excidisse possint  
 13   quae vinclis adamantinis ligarunt  
 14   nostra in pectora perpetes Camenae.  
 15   Quare ne dubites, amice noster,  
 16   constantes in amore nos manemus.

## AD PETREIUM APERBACCHUM JOCUS.

S4\_26   v.1   Loturo lutulenta per diurnos  
           2   soles corpora pulveremque foeda  
           3   sudorem cito fortiterque agentis  
           4   centum Theriacae recoctionis  
           5   drachmas mittere ne graveris Hesso,

6 purae, nobilis, optimae, probatae,  
 7 qualem cautus habere Mithridates  
 8 contra toxica lenta consuevit.  
 9 Quo facto ut venias simul lavatum  
 10 dux te per medicas rogamus artes  
 11 per numen recubantis Aesculapi  
 12 vicini prope vortices Hierae  
 13 quos Aurelia templa conspicantur.

## AD EUMDEM JOCUS

S4\_27 v.1 Si recte tibi creditam gubernas  
 2 regni nobilis insulam, facisque  
 3 Regi munera Satrapae fidelis ;  
 4 si non stultitiae beata regna,  
 5 et Regem Jove gloriosiore  
 6 spernis, nec sapientiae tyrannos,  
 7 grassari sinis in tuos colonos ;  
 8 si vera est tibi cura Morionum,  
 9 quos Encomia nulla, nec poetae  
 10 ulli pro meritis referre possunt ;  
 11 numquam denique si cupis videri,  
 12 de quadam sapientiae farina  
 13 ne gratas hodie sequare Nymphas  
 14 nec passim Veneres libidinantes  
 15 ut cum tempus erit venire possis  
 16 ad Regem tibi debita imperantem  
 17 pro re dicere publica volentem  
 18 communis dicionis insularum,  
 19 terrarum, omnigenum provinciarum,  
 20 quas toto tot in orbe possidemus,  
 21 regnum cum superis idem tenentes  
 22 mandamus tibi, gloriose ductor  
 23 stultorum, et generis novi repertor  
 24 o donande potentiore sceptro.

## AD JONAM CUPIT AUDIRE NOVA.

S4\_28 v.1 Lingua nobilis, ore fulminator,  
 2 cui mentem genius dedit beatam,  
 3 dignum caelo animum parente, quis te  
 4 fortunae modus interim rotavit,  
 5 pulchri moenia donec Isenachi,  
 6 orator colis, Hessiamque nostram  
 7 isti paene viragini Camillae  
 8 ereptam cupis, arte, jure, lingua,  
 9 dic quae nam nova ? Quae strepunt in aula  
 10 Regum nomina ? Bella, qui tumultus  
 11 nostris urbibus imminent ? Quid audet  
 12 extorris patria manus Suevi ?  
 13 Lugentes Aquilas quis excitabit ?  
 14 Quo vivunt Zephyro beata nuper  
 15 Galli lilia ? Quas Iberus undas  
 16 quas turbas vomit ? Unde lilieto  
 17 sub ver saevit hiems ? Futurus an sit  
 18 Caesar Carolus ? Anne Ferdinandus.

19 Quae 'moron' modo copiae Tyranno  
 20 cudunt exitium ? Favete Divi  
 21 Romanis Aquilis et impotentes,  
 22 Roma pellite, ferte sanguisugas,  
 23 qui nostrum penitus bibunt cruorem,  
 24 epotos nebulis replent et aura  
 25 et bullas jaciunt inaniores,  
 26 ipsis quas mare sudat aestuosum  
 27 bullas, plumbea verba, monstra, nugas,  
 28 quis credat, precor, improbis cinaedis ?  
 29 Piscatoribus amnium aureorum ?  
 30 Tende retia, Petre, tende nassam,  
 31 expiscare tui maris venena,  
 32 hydros, noxia monstra, scorpiones.  
 33 At tu care Deisque gratiisque  
 34 disertissime patriae nepotum,  
 35 tandem te mihi redde, quid moraris,  
 36 uni te mihi reddidisse ? Tandem  
 37 Hesso non tamen, omnibus reversum  
 38 quos tota tot in urbe delicatis  
 39 ardes ignibus. O beate Jona,  
 40 quin tu deseris ista summa, et has te  
 41 in valles jacis ? Aut jubes venire,  
 42 quem si non habeas habere velles,  
 43 quo non verior alter est, amicum.

## AD PETREIUM.

S4\_29 v.1 Quod si balnea nulla te morantur,  
 2 curata cute si vales, vel omni  
 3 angue lucidior vires juventa.  
 4 Si constas tibi mentis ingenique  
 5 statu, robore, dote, flore, fructu :  
 6 Heus carum caput, o beate Petrei,  
 7 ad nos cum decimae tenebit umbrae  
 8 metam sol vagus, ut velis venire  
 9 per Musas, per Apollinem, per omnes  
 10 oramus Veneresque Gratiasque  
 11 per te, per tua purulenta crura,  
 12 his morem gere septies rogamus.

## AD EUMDEM.

S4\_30 v.1 Petrei deliciae facetiarum  
 2 Musarum decus eruditiorum,  
 3 quem blandae Veneresque Gratiaequae  
 4 omnes, quae vel ubique sunt vel umquam  
 5 fuerunt, aliisve erunt in annis,  
 6 arident, placideque blandiuntur,  
 7 tamquam non alio prius receptae  
 8 sinu tam genialiter quierint,  
 9 quem Musae socialibus choreis,  
 10 quem nymphae charitesque conjugatae,  
 11 et castae tamen et libidinantes,  
 12 passim concomitantur, et decoro  
 13 stipant agmine, qualis inter ipsas

14 aut Phoebus pater, aut Jovis minister  
 15 facundus videatur Argicida,  
 16 Petrei deliciae decus voluptas  
 17 Musarum, Venerumque, Gratiarumque,  
 18 et nostrae favor, aura, spes Thaliae ;  
 19 per Musas Veneresque Grantiasque  
 20 tam dulces tibi, tamque conjugatas  
 21 tam blandum tibi tam pium canentes ;  
 22 nam sanctas et amabiles puellas  
 23 per nostram quoque te precor Thalam :  
 24 si nostrae locus ullus est Thaliae,  
 25 quo te, quo Charitas tuas precetur,  
 26 ut villae monumenta Tusculanae  
 27 jamdudum mihi te illa pollicente  
 28 velis mittere, meque pertinaci  
 29 et cura gravi et anxia levare,  
 30 pro queis munera si petis vicissim,  
 31 tot versus tibi muneri remittam,  
 32 quot toto tibi suggerunt in anno,  
 33 et Musae Veneresque Gratiaeque  
 34 risus, scommata, fabulas, jocosque  
 35 urbanosque sales, facetiasque  
 36 Petrei deliciae facetiarum.

## AD ANTONIUM MELAM.

S4\_31 v.1 Antoni venerande mi sodalis  
 2 Musarum decus atque Gratiarum  
 3 quo cantante stupet lyramque victus  
 4 ponit cum cithara silente Phoebus.  
 5 Sic te Pierides meae tuaeque  
 6 reginae aureae, et aureae puellae  
 7 blandae, virginis Aonos, Camenae,  
 8 divae Pierides amabilesque  
 9 decerptis Heliconis ex vireto,  
 10 ornent floribus, et tuum sequaci  
 11 intexant hedera caput, suoque  
 12 pascant nectare, lacte, melle, succo,  
 13 quo vitam superi trahunt perennem,  
 14 ut conviva mihi meridiani  
 15 solis tempore gaudeas venire.  
 16 Est hospes mihi liberalis, et qui  
 17 mirum te cupit in modum videre ;  
 18 et notus tibi quemque amare possis.  
 19 Ne tardes igitur venire, namque  
 20 nulla re nisi te est opus, tuaque  
 21 praesenti facilique comitate  
 22 Antoni, decus ordinis bonorum.

## IN POETAS QUI HESSI COGNOMEN SIBI INDIDERUNT.

S4\_32 v.1 Quis tandem furor ille vos poetae,  
 2 quae vexat rabies, ut undecumque  
 3 communis patriae genus trahatis,  
 4 hoc vobis quoque mutuuum velitis,  
 5 quod primo mihi nomen est ab illa.

6 Nam cum tot modo prodeant ab Hessis  
 7 clari nominis et boni poetae,  
 8 omnes hoc sibi frivoli poetae,  
 9 raptant surripiuntque praeferuntque  
 10 quod primo mihi nomen est ab illa.  
 11 Tamquam non alio nitere possint  
 12 claro nomine frivoli poetae.  
 13 Quare quisquis es Hesus ex parentum  
 14 natus sanguine, non honore famae,  
 15 quantumvis bonus et bonus poeta  
 16 quantumvis malus et malus poeta :  
 17 cum nequaquam Eobanus esse possis,  
 18 vellem desineres et Hesus esse.

## AD PETREIUM JOCUS.

S4\_33 v.1 Inclute dux 'moron', cui nobilis insula paret,  
 2 felicitatis affluentis insula.  
 3 Optime dux, Regumque potens, cui Regia debent,  
 4 et arma, et arva, sceptrum, plectra et omnia.  
 5 Poenam cerne tuo sed non irascere Regi,  
 6 heri nec absque causa facta inutili.  
 7 Quam si forte voles praesens cognoscere dices,  
 8 Rex aequiore mente non umquam fuit.

## MICHAELI ROTINGO SUO.

S4\_34 v.1 Illuxit, Rotinge, et adest sacrata Michael,  
 2 tuo dies cognomini.  
 3 Te decet hanc lucem festo celebrare quotannis,  
 4 conviviorum munere.  
 5 Sed quia turba sumus non luxuriosa poetae  
 6 tibi quos habere contigit.  
 7 Ter tria si ponas fecundi pocula Bacchi,  
 8 te digna facta feceris,  
 9 sic fortunabunt ter tres tua vota puellae,  
 10 et tres amabunt Gratiae.  
 11 Si minus, iratae fugient tua nomina Musae,  
 12 nec tres amabunt Gratiae.

## AD ANTONIUM MELAM PEREGRE REVERSUM.

S4\_35 v.1 Gaudebam quia veneris benigno  
 2 nuper sidere, nunc fere dolebam,  
 3 quod sic veneris ut latere velles,  
 4 illum quem minime latere posses,  
 5 tamquam non rediisse debeamus,  
 6 tecum credere virgines Camenas  
 7 nuper Slesiacis pie et pudenter  
 8 pastas Deliciisque Gratiisque,  
 9 fotas Sarmaticarum amoenitatum ;  
 10 si quicquam tamen est amoenitatum  
 11 inter stercora Sarmatae bubulci.  
 12 Qui nunc milite turget impotenti,  
 13 quem nunc Teutonicae manent Phalanges,

14 enses, fulmina, tela, lora, flammae.  
 15 At tu si quid adhuc memor tuorum  
 16 Antoni potes esse, si meremur,  
 17 tam cari tibi, tam pie faventes.  
 18 Nigris omnibus, omnibusque doctis  
 19 quales Slesia plurimos beatis,  
 20 aedit sideribus, veni per ipsum,  
 21 et vitae atque viae ducem rogamus,  
 22 Christum matris Apollinem puellae,  
 23 natum virginis, hoc sed impudenter,  
 24 quod mandare meum fuit precabar.  
 25 Sed ne dum properas nimis citatis  
 26 praeceps passibus, excidat Michael,  
 27 captivum mihi siste, sicque forsan  
 28 ista suspicione te levaris.

AD JOANNEM GRONINGUM ALGESINUM SUUM.

S4\_36 v.1 Cancellis prohibentibus molestum  
 2 et quantum tamen est satis novatum  
 3 admittentibus in cubile solem  
 4 solus, non tamen usque quaque solus,  
 5 inclusus sedeo, sed inter ipsos  
 6 Musarum Charitumque Cypridumque  
 7 amplexus et amabiles choreas.  
 8 Risus, oscula, nenas, lepores :  
 9 jam non grandibus improbum culullis,  
 10 nec Bacchum vice mutua lacessens,  
 11 ipsis sobrior omnibus Catonum  
 12 turbis, milibus, integerrimorum,  
 13 adsistunt mihi nobiles sodales,  
 14 et muti, et tamen utiles magistri,  
 15 qui totos mihi jam dies et horas  
 16 verbis dulcibus eximunt levantque  
 17 exhausti bene taedium laboris.  
 18 Haec inter mihi proxima renidens,  
 19 spirat nobilis hortus e fenestra  
 20 divum nectara, perpetesque dulcis  
 21 succos Ambrosiae. Sed ista soli  
 22 quantumvis bona, vera, magna, firma  
 23 sordent gaudia, dulcis Algesine,  
 24 si vos non habeant meae sodales  
 25 et Musae, Charitesque Cypridesque,  
 26 quare nunc agite advolate, postquam  
 27 os, ventrem, stomachumque colluistis  
 28 poturi nihil, at libet, futuri  
 29 nobiscum hydropotae, vale, Bacche,  
 30 turba sobria nos sumus Poetae.

CANTICUM VENI SANCTE SPIRITUS

S4\_37 v.1 Veni, maxime spiritus, tuorum  
 2 reple corda fidelium, tuique  
 3 accendas in eis amoris ignem ;  
 4 qui gentes fidei sub unitatem  
 5 per discrimina multa linguarum



6 solator paraclete congregasti ;  
 7 quem nunc mittere spiritum per orbem  
 8 digneris pater omnia innovabis ;  
 9 o qui corda fidelium benigni  
 10 flatus numine doctiora reddis,  
 11 da nobis age spiritu ex eodem  
 12 et rectum sapere, et frequenter ejus  
 13 consolamine vivere et valere.

AD MARTINUM HUNUM JOCATUR DE MARSUPIO SIBI COEMPTO.

S4\_38 v.1 Res est quam Cato rideat, nec ipsi  
 2 tristes aspiciant Timoniani  
 3 quam spectans 'agelasos' Heraclitus  
 4 multum rideat, immemorque frontis  
 5 a nullis sibi temperat cachinnis.  
 6 Hunus marsupium coemit Hesso  
 7 Hesso, quid quod habet pecuniarum  
 8 tam nudis et egentibus poetis  
 9 in testa nucis, aut toga cumini  
 10 quantumvis modico cucullione  
 11 totum ferre queat, sed ille tamquam  
 12 montes possideat pecuniarum  
 13 Hunus marsupium coemit Hesso.

V

HELII EOBANI HESSI SILVARUM LIBER QUINTUS

AD JOACHIMUM CAMERARIUM

S5\_1 v.1 Nimis theatris nate frequentibus  
 2 et inquietis fluctibus urbium  
 3 non ante Musarum recessus  
 4 respicis, aut subiisse quaeris,  
 5 quam te remissis alea lusibus  
 6 damnosa liquit, cur tua Gratiae  
 7 sic alligant caris amicis  
 8 pectora, ut invideant poetae,  
 9 ut rusticano et prorsus inutili  
 10 sic te secuto ? Sed quia non potes  
 11 vacare nobis, quod relictum est  
 12 temporis, hoc sine te exigemus.  
 13 Quando id necesse est, non tamen improbe  
 14 nec forte frustra, nam mihi cum lucro  
 15 numquam recedentes Camenae  
 16 tempora non onerosa fallent.  
 17 Tu non pudendis lusibus interim  
 18 curas remittes, verum aliae manent

19 curae quibus te sauciatum  
 20 lege Venus merita domabit  
 21 heu quanta molli pectore vulnera.  
 22 Sensure, quantis ignibus a miser  
 23 urere, quis te liberatum  
 24 expediet gravibus catenis.  
 25 Tunc te vocantem numen Apollinis  
 26 Apollo spernet, tunc ego te gravi  
 27 fato laborantem videbo  
 28 laetus et auxilium negabo.

AD EUMDEM PETIT EXPLICARI PROPOSITUM SIBI AENIGMA.

S5\_2 v.1 Quod nuper mihi discolore versu  
 2 versu nec numero nec arte eodem  
 3 versu nec pede compari, nec una  
 4 multarum ratione linguarum  
 5 constanti sibi lubricum toreuma  
 6 misisti, Joachime, non peregi  
 7 inspectum satis, et tamen peregi  
 8 inspectum minus, et satis peregi  
 9 quamquam frivola quattuor diebus  
 10 me pictura fefellit, et latebat  
 11 sub veri specie litura fallax  
 12 et deluserit artifex imago  
 13 illunes oculos, et humidarum  
 14 spisso pulvere nubium natantes ;  
 15 nam qua purpura parte prominebat  
 16 vix ductu mihi lineae recurvo  
 17 depictae poterant satis notari  
 18 quas furvae modo saepiae colores  
 19 ceu caligine miscuere densa ;  
 20 et nunc omnia mutuis ligabant  
 21 sese amplexibus in caput recursu  
 22 Maeandris redeunte flexuosis,  
 23 heu qualis labyrinthus ille, quantis  
 24 nos ambagibus impedivit, ille  
 25 structura labor omnibus theatris  
 26 sumptuosior implicatiorque  
 27 irretitior omnibus molarum  
 28 versuris, et euntium rotarum  
 29 se vertente voluminum meatu  
 30 tortuosior, erudite pictor,  
 31 tam depingere lubricum toreuma  
 32 et versu simul erudite vates  
 33 tam linguas quoque miscuisse plures  
 34 Musas mittere discolore vultu.  
 35 O doctissime mi poeta, salve  
 36 et nobis precor aequus esse pergas  
 37 qui nec talibus utimur figuris  
 38 nec tam possumus elegante Musa  
 39 nec tam fallere discolore versu  
 40 nec rescribere, jam ferente Phoebo  
 41 rebus lumina, quale vos soletis  
 42 seras scribere carmen ad lucernas.  
 43 Sed quo frivola Musa ? Quo vagaris ?  
 44 Quo te projicis istius modi res

45       consectata, et inutilem laborem ?  
 46       Cum te vera domi negotiorum  
 47       expectet series, et inquietam  
 48       haud quaquam esse sinant, tibi que reddi  
 49       lulus Simichidae velim poetae ?  
 50       Ergo quod superest roga poetam  
 51       admirabilium jocationum  
 52       ad nos ut veniat domique visat  
 53       quos quaesiverit ante tot diebus  
 54       nec dum invenerit, esse nunc quietos  
 55       et cessare domi, nec evagari  
 56       sicut nuper abire consueverint  
 57       in silvas, et in ebrias tabernas,  
 58       in pagos, et in abditos recessus  
 59       haec dices mea Musa, dein redibis.

AD EUMDEM ROGAT REMITTI SIBI PISCATORES THEOCRITI ETC.  
 ET SIMUL MEGARAM EIUSDEM MITTIT.

S5\_3    v.1       Cum piscem minus aureum remittas  
           2       quem multi tibi farre condiendum  
           3       messis misimus Indicae, sed ipsum  
           4       crudum pulvere sordido refertum  
           5       insulso male jusculo natantem  
           6       nec mandis, Joachime, nec remittis.  
           7       En pro pisce tibi duas puellas  
           8       uno mittimus improbas, voraces,  
           9       incultas quoque et ebrias veratro  
 10       circum litora germinante Lethes.  
 11       Hae piscem tibi ni caves vorabunt  
 12       istum protinus aureum, mihique  
 13       concisum referent, et exspuentes  
 14       rursum mandere frustra me jubebunt.  
 15       Et scis aurea non minus valere  
 16       quamvis parvula frustra, quam coacti  
 17       massam ponderis auream. Sed hujus  
 18       non causa est eadem, quod ipse frustis  
 19       uti nescio, ni tuis locentur  
 20       in formam digitis, et ordinentur  
 21       quem sit massa futura per laborem.  
 22       Te nunc hae, Joachime, mi puellae  
 23       ut se suscipias rogant, et ipsas  
 24       tractes molliter, hospitesque nudas  
 25       investes, et inutiles, ineptas  
 26       exornes melioribus corollis  
 27       excultasque pio labore, tandem  
 28       (si piscem prius exigas molestum)  
 29       dignas hospitio tuo remittas.

AD EUMDEM.

S5\_4    v.1       Si vacas negotiis  
           2       nec avocaris efficaciori  
           3       forte contubernio,  
           4       adesto noster huc adesto quaeso,  
           5       dum student latrunculi,

6 modos locumque praeparare nostri  
 7 te quibus fefellerint  
 8 manentque vina te parata quovis  
 9 dulciora Massico.  
 10 Quod ipse solus esse si graveris  
 11 Micalum vocabimus,  
 12 amabilem virum, bovemque Lucam  
 13 si libet, sed illius  
 14 ut omnis aura copiam negarit  
 15 nos tamen manebimus.  
 16 In arce Regiae beatioris,  
 17 regis arce Caroli,  
 18 licet coruscet illa dives auro,  
 19 nostra litteris nitet :  
 20 nec has inops Camena mutet illo.  
 21 Hujus arte vivitur,  
 22 ab illius parata saepe mors est.

AD EUMDEM CUM SILVAS ESSET EDITURUS SCAZON.

S5\_5 v.1 Tibi placere nostra scripta non miror,  
 2 quamvis inepta, nec satis elaborata,  
 3 sicut tui testes fuere Scazontes,  
 4 heri, Joachime quos mihi misisti,  
 5 tibi cum et ipse displicere non possim,  
 6 quamvis ineptus et parum elaboratus  
 7 vitaeque et eruditione, quae possint  
 8 existimationibus tuis de me  
 9 ulla satis ratione prorsum fecisse.  
 10 Nunc ergo postquam cuncta nostra sic laudas  
 11 ut paene mireris, quid esse tu credas,  
 12 aut esse quanti rere, si quod est usquam,  
 13 ad te meorum, ad me tuorum scriptorum.  
 14 Huc adde quicquid hac in urbe perscriptum  
 15 nobis utrisque. Sed nec est evulgatum  
 16 nunc colligamus atque tandem evulgemus  
 17 ne crescat ingens interim domi nobis  
 18 acervus ille, et illa turba nugarum  
 19 non comprehendi possit amplius, nec nos  
 20 decet silere Seriphias uti ranas,  
 21 et esse mutos, atque non ineptire  
 22 in his ineptis temporum cataclysmis.  
 23 In hoc parata nostra nunc ergo mens est,  
 24 ut hoc laboris urgeat, hocque conetur  
 25 quando parum expedire Simichidas Musas  
 26 licet, quid ipse sentias vel rescribes,  
 27 vel nos adibis, ut super hoc consultemus.

AD EUMDEM.

S5\_6 v.1 Nondum constituo quid esse dicam  
 2 aut quid suspicer accidisse causae  
 3 quod nostras minus advolas in aedes :  
 4 o non inter aves inauspicatas  
 5 aut inter numerande nidulantes,  
 6 in terra, sed ad astra porrigentum

7 sedes, et capita arborum colentes.  
 8 An postquam tibi conjugis pudicae  
 9 amplexus rediere delibati  
 10 nudarum sale, melle gratiarum  
 11 nos contemnis ? Et incipis tuarum  
 12 obliviscier institutionum,  
 13 et morum quibus ante praevalebas  
 14 ipsarum Charitum suavitati ?

AD EUMDEM HORTATUR UT NATALEM VERGILII SECUM CELEBRET,

S5\_7 v.1 Si festos, Joachime, feriarum  
 2 claudendosque epulis dies paramus,  
 3 Burchardo madidoque Chiliano  
 4 quorum numina talibus putamus  
 5 nobis esse propinquiora sacris,  
 6 cur non quae magis attinebat esse  
 7 nobis numina sacra, qui Latinas  
 8 Musarum colimus vacationes,  
 9 abjectis veneramur otiorum  
 10 curis omnibus, et sumus parati  
 11 ad convivia noctis otiosae,  
 12 quae cras ominibus bonis reducet  
 13 Idus Minciadae sacras Maroni ?  
 14 Quas olim mihi Sarmatae solebant  
 15 torpentesque gelu trucesque vultu,  
 16 ante ignes celebrare luculentos  
 17 instructis gelido foco caminis  
 18 per convivia lautiora nostris,  
 19 et per pocula crassiora nostris.  
 20 Nunc nemo mihi Noricam per urbem  
 21 idus concelebret sacras Maroni ?  
 22 Tanto barbarus elegantiori  
 23 praestet pectore Norico bubulcus ?  
 24 Sed tu si sapiēs, et approbabis,  
 25 quas nascens Maro consecravīt idus,  
 26 idus nos celebrabimus Maronis.

AD EUMDEM INVITAT AD CENAM.

S5\_8 v.1 Si non est hodie tibi molestum,  
 2 et te gaudia nulla demorantur,  
 3 his nostris potiora : nec puellas  
 4 inter blandiloquas et elegantes,  
 5 usto pectore forsitan sedebis,  
 6 ad nos ut, Joachime, ne graveris  
 7 longis passibus, ut soles, venire  
 8 adsumpto tibi Micalo rogamus,  
 9 cui farcimina multa nos paramus.  
 10 Atque artolaganos, merasque quales  
 11 scriblitas dedit ille Martiali  
 12 qui mensam miser ore concacavit.

## AD EUMDEM UT SCRIBAT SATYRAM

S5\_9 v.1 Mercurium citharae, Neptunum flumina possunt,  
 2 Jovem decere fulmina.  
 3 Virgineae Phoebum lauri, sua cornua Bacchum  
 4 virens oliva Palladem.  
 5 Te decet in Satyra censorem effingere Momum,  
 6 et quos potenter exprimis.  
 7 Arte stili mores Germano nomine dignos,  
 8 et te decente carmine.  
 9 Mens praesaga boni nec me, Joachime, fefellit,  
 10 sic perge fies maximus.

## AENIGMATA QUAEDAM JOACHIMO PROPOSITA

## PRIMUM.

S5\_10 v.1 Matris Deorum sanguine,  
 2 mater Minervae debria  
 3 ex matre crebro fit pater.

## SECUNDUM.

4 Ardente spuma si linas  
 5 terrae peremptum fomitem  
 6 incendet orbem protinus.

## TERTIUM.

7 Pyrrhae tenacis filii  
 8 reddunt coacti semina,  
 9 quae praeter ipsos omnia  
 10 vi praevalenti conterunt.

## QUARTUM.

11 Quis esse quaeso te potest,  
 12 qui cum pepedit maxime,  
 13 et minxerit longissime  
 14 matrem levat rectissime ?

## QUINTUM.

15 Caelum tulit Tirynthius  
 16 Agenoris caeli patrem,  
 17 quis hunc et hanc, hoc, omnia ?

## SEXTUM.

1 Quaedam libidinosa anus et ebria  
 2 vultuque deformissimo.  
 3 Sapientibus pulcherrima consilia expedit,  
 4 si consulatur dextere.

AD EUMDEM PRO SOLUTIONE PRAECEDENTIUM AENIGMATUM CARMEN VARIE MIXTUM.

S5\_11 v.1 Solutor eia gloriose aenigmatum,  
 2 majorque quovis Oedipo.  
 3 Et ipsa tortuosa Sphynge doctior,  
 4 utcumque sese res habet.  
 5 Sive inepta Quintia  
 6 mensis apposuit suis  
 7 nos, atque liberaliter,  
 8 instruxit vitulans mirificis epulis,  
 9 sive nos cuppediis  
 10 suis ditavit somniorum civitas,  
 11 dum tu pro talibus offers,  
 12 nec Quintiana fercula,  
 13 nec tortuosa aenigmata,  
 14 sed plenas mensae liberioris opes.  
 15 Quas, nisi misissem fatuae tibi somnia noctis,  
 16 te rogo per Musas anne daturus eras ?  
 17 Sed me Saturni praesentia nomina magni  
 18 luminis exortu prosperiore vident.  
 19 Quando igitur numeris constant tua carmina miris  
 20 si non mirarer 'thauma megan genomen'.  
 21 Sed neque te dubito campos peragrasses Pelasgum  
 22 quasque tenes lectas inde tulisse rosas.  
 23 Hoc magis admiror nostrae te aenigmata Musae  
 24 ceu nodos facili dissoluisse manu.  
 25 Scilicet hoc mea monstra volebant,  
 26 et intricatae somniorum fabulae  
 27 et Musae fatuae, et praetenues fame  
 28 consuetudinis, o Joachime, tuae,  
 29 cras igitur veniemus,  
 30 quando ita tu jubes.  
 31 Cui nec debeo nec negare possum  
 32 quicquid jusserit. Interim valet.  
 33 Haec tibi scribebam posita jam lance latronum,  
 34 nabat adhuc madido pinguis in ore Ceres.

AD EUMDEM, ITEM VARIE MIXTUM CARMEN QUO IPSUM AD CENAM INVITAT.

S5\_12 v.1 Seu te Joachime tenaces  
 2 exercent curae, atque morantur  
 3 seu te laeta remissis,  
 4 fortunae otia flatibus,  
 5 debebis nihilo minus  
 6 hujus diei ad vesperam  
 7 te nobis haud quaquam negare,  
 8 cenae frugalis hospitem  
 9 quam dabimus tibi cum reliquis,  
 10 paucis sed electis amicis  
 11 haud quaquam similem tuae  
 12 quam tu dedisti nuper ebriam  
 13 sumptibus eximiis.  
 14 Illa nobis namque desunt omnia  
 15 dona, quae convivia possunt facere splendida.  
 16 Verum animus non deest liberrimus,  
 17 liberalissimusque quod si copiae  
 18 desint, ipse sibi satis est,  
 19 omnibus atque bonis.  
 20 Quid ergo restat.

21 Nisi ut ipse venias  
 22 aderunt alii quoque quos amas tu maxime  
 23 sed sine conjugibus.  
 24 Nam mihi cum mulierculis  
 25 non ita belle convenit.  
 26 Quam tecum, et similibus tui  
 27 ergo age, mi bone Comice,  
 28 Mi lyrice, mi Meliceque argutissime,  
 29 ad quartam venias precor :  
 30 cenula namque diutius  
 31 nostra differri nequit.  
 32 Sed ut hoc etiam scias  
 33 cena inempta te manet,  
 34 at vina non gratis bibes  
 35 nam nos de fundo paupere  
 36 vilia dona damus.

AD EUMDEM OSTENDIT SE NON POSSE SOLVERE PROPOSITA AENIGMATA.

S5\_13 v.1 Nunc ergo te rogo per improbissima  
 2 quae me enecant aenigmata.  
 3 Quis est amicus ille de communibus ?  
 4 Quae dona misit Lypsia ?  
 5 Quae nam volucris illa Paeonis tibi est ?  
 6 Quae dulce Musarum melos  
 7 cantare possit affulgente spe lucri ?  
 8 Quae frons sit isthaec rutea ?  
 9 Quae nam corona ? Quis arcus ? Et quae linea ?  
 10 Quis est ferox istic Leo ?  
 11 Qui sunt bis octo, quos mihi tu nominas ?  
 12 Quae causa vitae ? Quae vigor ?  
 13 Demum quid illa habere ponderis queant  
 14 quam scire totus gestio  
 15 nam nulla nunc mihi tu afferre somnia  
 16 videre, sed miracula  
 17 rerumque portentosa monstra plurima,  
 18 o Sphynges, o aenigmata.  
 19 Adeste, Musae, adesto, Apollo Delphice :  
 20 huc o Sybillae virgines  
 21 quin huc reditis universa protinus  
 22 vatium priorum saecula  
 23 et expeditis ista quae nos enecant  
 24 plus quam stupenda aenigmata  
 25 at tu magis intricate quovis Oedipo  
 26 quin ista solvis protinus  
 27 quod si moraris ista monstra solvere  
 28 Dii te ligatum deferant  
 29 extremam adusque litoris rubri plagam  
 30 haec monstra ubi nascuntur tibi.

AD EUMDEM.

S5\_14 v.1 Si non est hodie tibi molestum  
 2 et forsitan vacat, et potes venire.  
 3 Ad nos ut venias precantur omnes  
 4 pastores Siculi Theocritique



5 omnis fistula, 'odosporoi te aphonos'  
 6 omnes te sine, sed tamen loquentes  
 7 mecum nonnihil, at parum expeditum.  
 8 Ut quondam puerile vagientes  
 9 ad cunas mihi reguli loquuntur  
 10 quos ut tu doceas loqui venito  
 11 illo tempore quo soles venire

## AD EUMDEM INVITAT AD CENAM.

S5\_15 v.1 Anser pinguior omnibus medullis  
 2 carne mollior omnibus Cyuris  
 3 esu suavior omnibus capellis  
 4 fotis lacte recentibus capellis  
 5 qui certare cuniculo sequaci  
 6 possit, quem vel Apicius pararit  
 7 cui cedant leporumque delicati  
 8 ventres, inguina, tibiae, natesque  
 9 et pectuscula gestientis haedi  
 10 qualem Juppiter esse possit ipse  
 11 cum Diis Oceanum sedens ad altum  
 12 qui nec Pelea dedecere possit  
 13 nympa conjuge nuptias parantem  
 14 quas Divis dedit omnibus vocatis.  
 15 Sed ne fabula longa te moretur  
 16 talem noveris anserem parari  
 17 in cenam, Joachime, te manentem  
 18 sed cenam modicam, sed elegantem,  
 19 castam frugiferamque sobriamque,  
 20 quae te non potuit carere cena  
 21 quae nec te sine debuit parari.

## AD EUMDEM.

S5\_16 v.1 Quae te tanta negotia occupatum  
 2 tanto tempore distrahunt, morantur.  
 3 O nostrae Joachime pars Thaliae  
 4 multo maxima ? Desinisne nostras  
 5 qua nuper pietate consueras  
 6 Musas appetere, approbare, amare ?  
 7 Atqui nunc tibi sedulae laborant  
 8 nostrae Pierides, novosque flores  
 9 aeternae tibi deligunt coronae.  
 10 Tu nos negligis interim fugisque  
 11 ceu longe tibi dissitos, nec audis  
 12 quos invisere saepius decebat  
 13 o ingratae tuis notande Muses.

## AD EUMDEM DE LUDO SCACORUM A VIDA POETA DESCRIPTO.

S5\_17 v.1 Bella per instabilem plus quam socialia campum  
 2 quadam tenus perlegimus.  
 3 Bella quidem belle, quisquis fuit ista peregit  
 4 nec Vida vidit improbe,  
 5 quam deceant faciles etiam sua proelia Musas

6                   divosque longe principes  
 7   Arcitenens magno quae cum Jove tractet Apollo  
 8                   tuque Argicida Mercuri  
 9   jamque nec ingenii, nec in istas temporis artes  
 10                   quondam locati paenitet  
 11   te quoque cui Phoebus cedat sub talibus armis  
 12                   non paenitere suspicor.  
 13   Quas tibi nunc tanto solvam pro munere grates,  
 14                   Joachime mi carissime,  
 15   sed tamen eximio Bilibaldo plura fatemur  
 16                   debere nos, hujusmodi  
 17   pro merito, siquidem gratam dedit ille palaestram  
 18                   jam non latrocinantium  
 19   magnorum superum, sed suaviter ista gerentum  
 20                   Muis amica proelia.

## AD EUMDEM JOCUS.

S5\_18   v.1   Musas spernere posse non putaram  
           2   cum sic carmine scriberem jocosus.  
           3   Sed sic carmine ludicro jocabar  
           4   tecum, mi Joachime, quem puellas  
           5   omnes urere, et omnibus sciebam  
           6   formosis placuisse, sed puellis  
           7   nil formosius est eritque Muis  
           8   quas totis adamare te sciebam  
           9   captum sensibus, ossibusque totis  
 10   totis ista trahentibus medullis  
 11   flammae incendia pulchra non nocentis,  
 12   sed quas tu mihi nunc cacationes  
 13   mittis, quas tibi fuderint forenses  
 14   hostes Pieridum ? Sed huc venire  
 15   si credis satis esse polliceri  
 16   Croeso ditior es Midisque asellis,  
 17   o doctissime, multa polliceri  
 18   nil praestare, sed ut venire possis  
 19   en versus tibi mittimus volantes.

## AD EUMDEM HORTATUR UT PROMISSA PRAESTET.

S5\_19   v.1   Si nostras tibi reddidit lituras  
           2   quisquam, cur dare jussimus, tuorum  
           3   cur non quod petimus facis ? Nihilque  
           4   respondes, Joachime ? Cum negoti  
           5   sit res nullius haec tibi, queasque  
           6   hoc nobis quoque somniare factum  
           7   cum si tanta mihi negotiorum  
           8   mandes pondera quanta per labores  
           9   Alcidas quoque plurimos gravarint  
 10   haudquaquam dubitem libens volensque  
 11   et si perficere haud queam, subire.

## AD EUMDEM NON AGNOSCERE SE LAUDES SIBI AB IPSO TRIBUTAS.

S5\_20   v.1   Ergo reductarum Phoebi, Joachime, sororum

2           judice te, merito gloria nostra fuit.  
 3 Non agnosco equidem, tamen hos reverenter honores :  
 4           amplector toto pectore, sicut habes.  
 5 Tu tamen hoc peccas nimia pietate, quod audes  
 6           ponere te nobis inferiore gradu.  
 7 Ut tamen hoc nostro tribuam, quia credis, amori  
 8           nonnihil uberius culta Thalia mihi est.  
 9 Idque quod esse parum fateor, praedivite fluxu  
 10          ingenii superat vena beata tui  
 11 et nisi me fallunt animi praesagia, in isto  
 12          tu quoque si perges pulvere victor eris ;  
 13 nec tibi ductu opus est adeo, ne concipe, nostro :  
 14          quae juga te cupidum quaerere scribis, habes  
 15 nec tibi mons gemina qui vertice sidera pulsat  
 16          nec sacer ignotus fons pede factus equi,  
 17 omnia Musarum facili pede regna subisti,  
 18          o humiles inter non habiture locum.  
 19 Desine me vanis obtundere laudibus istis  
 20          ipse quibus longe dignior unus eras  
 21 nos tibi, quod reliquum est, socialia plectra feremus  
 22          lusuro resona carmina multa chely,  
 23 quae tamen, ut scribis, nulli meliora poetae  
 24          quam quos blanda Venus jussit amare, canunt.  
 25 Quae tibi sic pulchris res est monstrata figuris  
 26          non possis credi non ut amare mihi.  
 27 Qualia dum scribis quereris tibi deesse Camenas  
 28          grate parum propriis o Joachime bonis  
 29 quae si forte mihi dicam placuisse videbor  
 30          blandior, et nimio forsam amore rapi.  
 31 Viderit hoc sors ipsa, satis sibi conscia mens est,  
 32          quae nisi iudicio non eget ipsa suo.  
 33 Blanda videbatur genialem gratia versum  
 34          pingere, et in venis multa calere Venus.  
 35 Tam bona si dictat tibi carmina mater amorum  
 36          quod facit, Euterpe est ista colenda tibi  
 37 quam tibi sic facilem possis ut semper habere  
 38          semper habe quod sic semper amare queas.

AD EUMDEM QUOD OPTIMA SCRIBANT CARMINA QUI AMANT.

S5\_21 v.1       Sive est vera tuae ratio seu falsa querelae  
 2           tempore quo venit littera, lecta mihi est.  
 3 Et placet, et vellem vere, Joachime, doleres  
 4           est etiam qua te parte dolere velim.  
 5 Artibus experto si quicquam credis in istis  
 6           ingenii stimulos ista venena movent,  
 7 sive ita naturae vi liberioris agamur,  
 8           sive aliqua fatum nos ratione trahit,  
 9 Pierias vere quicumque urgemur ad undas  
 10          ignibus Idaliis obvia turba sumus.  
 11 Dum velut in proprios abiit mens nostra recessus  
 12          se videt, atque ortus semina prima sui  
 13 inde amor, inde fluunt caelesti carmina succo  
 14          vivida, et ambrosias gratia picta genas.  
 15 Et, nisi divinum censes errasse Platona,  
 16          agnatos caelo nos docet esse Venus.  
 17 Quid mirere igitur si vere, ut nuper, amanti

18 Pierides vena divitiore fluant.  
 19 Haec mihi te ratio vere deprendit amantem  
 20 quod Venerem melius quam tetrica ista canis.  
 21 Sed perge et quamcumque ardes feliciter arde,  
 22 haec erat ingenio digna palaestra tuo.  
 23 Carmina tum venient, nec amanti Carmina deerunt,  
 24 carmina quae stupidis nulla venire solent.  
 25 Quam Venus ardentes exerceat ipsa Camenas,  
 26 crede mihi exiguo tempore doctus eris.

AD EUMDEM. PROMITTIT GENETHLIACON.

S5\_22 v.1 Tempore quo tepidi vernantia lumina solis,  
 2 florida milleno prata colore novant.  
 3 Exieram petiique virentis proxima silvae  
 4 antra, Heliconiadum ceu bibiturus aquas.  
 5 Jam nemus intraram densum florentibus umbris,  
 6 roris adhuc praegnans fetibus herba fuit.  
 7 Vallis erat viridi nemorum secreta recessu,  
 8 plurimus herbosam fons rigat intus humum.  
 9 Hic ego per virides sociis errantibus herbas,  
 10 gramineo posui corpora fessa toro.  
 11 Venit et Aonidum prope constitit una, Deaque  
 12 vestibus inscriptum nomen amoris erat.  
 13 Et nisi virgo foret, potuit Venus illa videri,  
 14 hanc ego dum stupido pectore miror, ait :  
 15 "Quos nuper thalamos quae sacra Hymenaea canebas  
 16 nunc tibi sunt iterum voce canenda nova.  
 17 Nunc cane qua sponsum cecinisti, voce parentem  
 18 quae tunc nupta fuit, nunc tibi mater erit.  
 19 Et nunc ille tui cupidus te quaerit, et uni  
 20 quae nova concepit gaudia ferre cupit.  
 21 Tu nemora et saltus praeruptaque saxa peragras,  
 22 ille tuas frustra pulsat aditque fores."  
 23 Dixit, et in tenues fugiens evanuit auras.  
 24 Me subito celeres inde tulere pedes,  
 25 et tibi nunc reduces tibi nunc, Joachime, vacamus  
 26 dum loca silvarum sunt peragrata satis.  
 27 Nunc tibi servata donatam conjugem prolem  
 28 gratulor, hoc dextri sideris omen habes.  
 29 Crescat, et instantes feliciter impleat annos,  
 30 cujus honore tua est pignoris aucta domus.

AD EUMDEM UT CARMINA E THEOCRITO VERSA REMITTAT.

S5\_23 v.1 Carmina Simichidae per nos descripta poetae  
 2 num data sunt manibus, mi Joachime, tuis ?  
 3 Quae tibi si data sunt et lecta rogantia verba,  
 4 quid crucias lenta pectora nostra mora ?  
 5 Non magis exspectat stimulantibus anxia curis,  
 6 si qua sit absentem quæsta puella virum.  
 7 Non magis exspectat morbis populantibus artus  
 8 si quis Apollineam postulet aeger opem.  
 9 Quam tua nos animi cupimus rescripta, timente  
 10 ne sua pro nullo pondere verba cadant.  
 11 Neve igitur credas nos ludere talia, neve

12 scribere de vulgo quemlibet ista tibi.  
 13 Ecce coronatis etiam metuenda Tyrannis,  
 14 subjicimus manibus Regia sceptrata tuis.  
 15 Atque ut rescribas per Musica sacra rogamus,  
 16 auspiciis Musis cognita sacra tibi.  
 17 Jura fidemque igitur nisi deseris ista sacrorum,  
 18 scribere si forsitan non libet, ipse veni.

AD EUMDEM DE PSALMO E DAVIDE VERSO.

S5\_24 v.1 Quos mihi Jessaeo factos de carmine versus  
 2 misisti, dignos dicimus esse legi.  
 3 Atque utinam tam te pudeat, Joachime, latere,  
 4 quam scriptis orbi paenitet esse palam.  
 5 Non ego te multis dubitem praeferre poetis  
 6 quos inter primos saecula nostra locant.  
 7 Crede mihi, ex animo vera haec non falsa loquenti,  
 8 laudari scripto carmine dignus eras.  
 9 Utilis ambitio est fructus et multa ferentum  
 10 commoda, inutiliter gloria vera latet.  
 11 Quare age quae nostris tribuis, Joachime, Camenis,  
 12 sume animum ut possis adseruisse tuis.

AD EUMDEM UT DATA CARMINA REDDAT.

S5\_25 v.1 Si mea non tineas, chartarum damna, merentur,  
 2 quem tibi commonstrant carmina trade viro  
 3 neve morae ratio tibi longior ulla trahatur,  
 4 hoc hodie pactum te soluisse velim.  
 5 Quod nisi praestiteris sua tempora littera perdet,  
 6 et poterit credi falsa fuisse fides.  
 7 Non tamen ut mittas, sed ut ipse ea carmina reddas,  
 8 te rogo, sique sinas ipse jubere, volo.  
 9 Major enim nostris accedet gratia Musis,  
 10 duxeris injecta quas, Joachime, manu.

AD EUMDEM JOCUS.

S5\_26 v.1 Ludere nobilium, doctissime, bella latronum,  
 2 numquid ab ingenio deficiis ipse tuo.  
 3 Namque quid usque adeo rarus mea regna salutas  
 4 regna suos etiam nuper adeptas Mydas.  
 5 An quia duxisti talem, Joachime, puellam,  
 6 quali tu tantum conjuge dignus eras ?  
 7 Clause domi numquid juvenili in amore senescis ?  
 8 Me juvenem reddit quando senilis amor ?  
 9 Vive vale, nam quae nunc scribere plura volebam,  
 10 non subeunt, nec me Pieris ulla juvat.

AD EUMDEM.

S5\_27 v.1 Quod mihi permittis sub prandia carmen 'adêlon'  
 2 mittere sub cenam mi, Joachime, velis.  
 3 Et nisi te cupidum teneat bellissima conjunx

4 a cena saturis ventre gulaque veni.  
 5 Hoc rogat ille tibi cognominis improbus infans,  
 6 qui nisi tu venias, vagiet immodice.  
 7 Sic tibi salva domi maneat pulcherrima conjunx  
 8 quae prope te solo conjuge digna fuit.

AD EUMDEM UT LAETETUR SCRIPTO EPITHALAMIO.

S5\_28 v.1 Funde merum, Geniumque voca Veneremque maritam  
 2 concelebra, nardo tingere, sparge rosas.  
 3 Abice quicquid habes quod mordeat, indue quicquid  
 4 laetitiae moveat gaudia plena novae.  
 5 Cur ita ? Nam te ipsum tibi mittimus ecce renatum,  
 6 numquid erat nasci te vetuisse mori ?

AD EUMDEM RESPONDET QUID SENTIAT DE ERUDITO QUOPIAM HOSPITE.

S5\_29 v.1 Carminis Aufidii nimium studiose, requiris  
 2 quis mihi sit visus quem tecum vidimus hospes  
 3 dignus amicitia nostrane sit, accipe paucis  
 4 quae multis a me verbis, Joachime, petisti,  
 5 quod libros Latiis nactum mihi scribis in oris.  
 6 Tam raros, tam non aliqua quantumlibet auri,  
 7 merce rependendos magna, decus illud honesto,  
 8 accedit titulo, velut a virtute tropaeum  
 9 quod petitur : quid enim credas hoc munere dignos  
 10 qui retrahant studiisque negent sua commoda rectis ?  
 11 Hospitis inde tui mores, quantum unica nobis  
 12 cena probare potest, ita sunt mihi ad omnia visi  
 13 exacti momenta, boni, faciles, et honesti  
 14 candorem prae se multum sine labe ferentes.  
 15 Lingua disertata satis, multa experientia rerum,  
 16 ingenii splendor, studiorum multa supellex.  
 17 Et quid plura loquar ? Nec enim describere laudes  
 18 illius institui, nec tu, Joachime, volebas  
 19 digni laude satis. Sed enim nec laudis avarum  
 20 esse bonum decuit, nec plus quam prosit egentem.  
 21 Est aliquid transisse Alpes, ut scribis, et haec sunt,  
 22 quae vere jactas temulentae insomnia Musae.  
 23 Nam si non animum mutant qui trans mare currunt,  
 24 ut tuus ille canit, non plus tibi cognitus Alpibus  
 25 contulerit, quam visa Tagi praedivitis unda,  
 26 nuper et Herculeo summato gurgite Gades.  
 27 Et mihi Sarmaticae Borealia regna paludes  
 28 piscibus et plenas persaepe natasse lacunas.  
 29 Tu quoque vidisti subjectos Parrhasis ursae,  
 30 et late populos, ad Baltica stagna colentes.  
 31 Quos tamen inde boni flores quae commoda fructus  
 32 extulimus ? Me mille modis vidisse jacentes  
 33 paenitet Arctoo sub sidere Sauromatarum  
 34 hydropotas populos et terras fruge carentes.  
 35 Crede mihi, multis nocuit vidisse remotas  
 36 orbe alio gentes : si paucis profuit autem  
 37 ergone cuncta tibi subeunda pericula censes ?  
 38 Et mala tot subeunda mari terraque ferenda ?  
 39 Felicem quem parva domi res tuta, et honesto

40 nomine parta manet ; quod si illum divitis auget  
 41 ingenii decus, et virtus, et gloria famae  
 42 quis hunc Semideis, quibus hunc nam regibus aequus ?  
 43 Omnia quae tibi cum data sint, Joachime, Deorum  
 44 munere, cur alio gentes sub sole repostas,  
 45 cur aliena voles invisere regna ? Quid autem  
 46 tam fragilis millena subire pericula vitae  
 47 casibus expositae variis ? Cum te tua virtus  
 48 parta labore tuo notum satis atque beatum  
 49 contentum parvo faciat, magna ista potentis  
 50 fortunae deridentem ludibria, quamquam,  
 51 quamquam o, sed paucis contingit adire Corinthum  
 52 idem ait ille tuus, cujus quia verba stilumque  
 53 consecraris, in hoc quoque consentire necesse est  
 54 consilium, quo suadet ut otia tuta capessas,  
 55 non adeas gravibus commercia plena periculis :  
 56 nam si vis, inquit, bene vivere, quod petis hic est.

## AD EUMDEM.

S5\_30 v.1 Sic tibi sint faciles, ut sunt, in carmina Musae  
 2 sic citharae nervis cedat Apollo tuo.  
 3 Sic habeant, ut habent, Charites tua pectora nudaae,  
 4 sic tibi perpetuo constet amica Venus,  
 5 sic tibi quicquid habet locuples fortuna bonorum,  
 6 tandem non varia conferat omne manu  
 7 si, Joachime, meas non ire graveris ad aedes,  
 8 hoc tibi ut arripias quando vacabit iter.  
 9 Nec propriis studiis mea te curare relictis  
 10 sed peto quod vacui temporis esse potest.  
 11 Nec tam saepe domi te convenisse decebat,  
 12 curarum praestat jam satis illa tibi.  
 13 Et cupio et nequeo te convenisse frequenter  
 14 hic animus cura fluctuat ancipiti.

## AD EUMDEM

S5\_31 v.1 Postquam iterum reduces Pegnesida venimus urbem  
 2 tertia caelivagus lumina Phoebus agit.  
 3 Nec, Joachime, venis solito nec more salutem,  
 4 regia dicturus limina nostra subis.  
 5 Ipse tuae patriae vidi moresque virosque,  
 6 queis non exiguo cultus honore fui.  
 7 Et potes haec absens jam tot nescire diebus,  
 8 quae sinui cupimus deposuisse tuo.  
 9 Et mihi visa via est haec certe longior illa,  
 10 qua stadia Hispanae mensus es ipse plagae.  
 11 Officium ergo tui nisi deseris omne poetae,  
 12 si potes huc hodie, mi Joachime, veni.  
 13 Et simul Aetnigenae perversa poemata vatis  
 14 fac redeant cultu sed meliore, vale.

## AD EUMDEM

S5\_32 v.1 Discolor errantis si te juvat area pugnae

2 et posito praefers lignea regna mero  
 3 care, salutatum nostros, Joachime, penates,  
 4 post tibi quam fuerint prandia sumpta, veni  
 5 namque aderunt quos tu non dedigneris amicos,  
 6 si, quod habes, quicquam pectoris hujus habes.

## AD EUMDEM.

S5\_33 v.1 Quid prodest venisse eadem sub moenia, si te  
 2 non datur optata condicione frui ?  
 3 Sic sitit et medias, quisquis fuit ille, per undas  
 4 esurit, et frustra quas tenet ambit opes.  
 5 Non habiture igitur faciles, Joachime, puellas  
 6 Perge tibi natas spernere Pieridas.

## AD EUMDEM.

S5\_34 v.1 Jam non aucupio sequor avia stultus inani  
 2 ruraque brumali semiperusta gelu,  
 3 Nam quia te totiens frustra venisse dolebam  
 4 jam totis statuo solibus esse domi.

## AD EUMDEM.

S5\_35 v.1 Nuper ut abstulerat tibi me punita voluptas  
 2 languentem fuerat deseruisse pudor.  
 3 Nunc cum reddiderit tibi me reparata voluptas  
 4 sit rogo sanatum deseruisse pudor.

## SEBALDO HEIDO SUO LUDIMAGIS. SEBALDINO NORINBERGAE,

S5\_36 v.1 Non quia cessarint jamdudum in mutua Musae  
 2 carmina sive meae sive, Sebalde, tuae  
 3 mutatam vereare fidem, nec credere debes  
 4 tempus amicitiae dissoluisse vices,  
 5 sed tua quod verita est violati crimen amoris  
 6 mansit in officio Musa benigna suo  
 7 quae sic blanda fuit, sic ornatissima venit  
 8 ut stupidum forma fecerit esse sua.  
 9 Adsere tam faciles Diis, care Sebalde, Camenas  
 10 quas gravis est pulsas restituuisse labor.  
 11 Nec dubita quin nostra fides tibi constet amorque,  
 12 dum sibi constabit Noridos urbis honor.

## AD JOACHIMUM CAMERARIUM

S5\_37 v.1 Qualia nec Latias pudeat describere Musas  
 2 si legat abjecta flavus Apollo lyra  
 3 ad quorum saliant alacres modulamina nymphae  
 4 et succensa novo pruriat igne Venus,  
 5 qualia lascivum poterant decuisse Tonantem,  
 6 dum sedet et placito de Ganymede bibit,  
 7 qualia Teutonicis nuper non aequa poetis



8 gratia amet, junctis blanda cupidinibus  
 9 talia cum facias, cum talia carmina scribas,  
 10 dic mihi per Musas cur, Joachime, premis ?

## AD EUMDEM JOCUS.

S5\_38 v.1 Si te Musarum comes unice nostra momordit  
 2 littera, quod ludos objicere ausa tibi est,  
 3 non alia credas factum ratione velimus  
 4 quam quia nil aliud quod loqueretur erat  
 5 et tam non acidis salibus perstringere amicos  
 6 auriculasque jocis vellere saepe juvat.  
 7 Nunc tamen hoc gratum est quia magni carmen Homeri  
 8 instituis viva tradere voce tuis,  
 9 sed quia tu scribis, non faustum est 'mênin aeidein' ?  
 10 Non adero, 'mênin' ne tibi commoveam.  
 11 Cur etenim veniam cum pergas 'mênin aeidein',  
 12 ni dicas fictam 'mênin aeide thea'.

## AD EUMDEM

S5\_39 v.1 Obvius a cena Plutarchus venit eunti  
 2 a Plini tenebris ad Ciceronis opes  
 3 dum cupio injecta properantem voce morari  
 4 inceptum fallax alea rupit opus :  
 5 i nunc nostra tuis 'aenigmata' confer 'Homerois'  
 6 qui tamen hoc casu ne moriantur ades.

## AD LUCAM MYSNERUM DE IPSIUS NOMINE JOCUS.

S5\_40 v.1 Daedalon aereas sumpsisse et Pegason alas  
 2 vix habet exigua fabula nota fidem.  
 3 At bovis effigiem qui Lucae fecit et alas  
 4 credimus audaces non habuisse manus ?  
 5 Insolitas tantum volucres finxere poetae  
 6 ex homine ille bovem, de bove fecit avem.  
 7 Quo quia tu gaudes Divo cognomine Luca,  
 8 sume tuo capiti cornua taurus eris.

## AD EUMDEM.

S5\_41 v.1 Festa sui celebrans cognominis otia Lucas  
 2 de lacubus captam putribus emit avem.  
 3 Scilicet hoc volucrum veneratus nomine Lucam  
 4 oblitus credo quem colit esse bovem

## DE EODEM.

S5\_42 v.1 Rectius altivagum celebrasses corpore Lucam  
 2 non avis exiguae, sed bovis eximii.

## AD EUMDEM JOCUS.

S5\_43 v.1 Quae fuerant nobis asininae credita pelli  
 2 an tibi sunt Luca credita scripta parum  
 3 sive quod est asini 'basileus onos' ore locutus,  
 4 ista parum possunt scripta placere tibi  
 5 commoda ceu quoniam non legeris otia nactus  
 6 seu quia dissimulas lecta fuisse tibi,  
 7 quicquid id est vel adhuc Asininas inspice chartas  
 8 quodque jubent illae perface, sanus eris.

## AD GREGORIUM HOLOANDRUM

S5\_44 v.1 Juris Holoander novus instaurator adempti  
 2 cujus in haec revocas tempora nostra decus,  
 3 si tamen hesternae quod es inter pocula cenae  
 4 pollicitus, memorem non pudet esse, veni :  
 5 non quia sis fulgentem opibus visurus amicum,  
 6 sed potius Musae pauperis inferias.

## AD OTHONEM CORBERUM SUUM.

S5\_45 v.1 Cum tot abortivis celebrent te versibus Hessi  
 2 non video cur non maximus esse queas  
 3 qui licet exiguo sis corpore, fama Gigantem  
 4 te facit, Hessorum quam tibi Musa dedit.  
 5 Alter carminibus, rythmis te concinit alter,  
 6 o celebrem multa, te ratione virum  
 7 debes ergo tuis, si te non paenitet, Hessi  
 8 corporis et famae nomina magna tuae.  
 9 Sed tamen ex illis qui Regia sceptrum gubernat  
 10 in te plus meriti plus quoque juris habet.  
 11 Quare age mandati pare, Corbere, tyranno  
 12 pransus amica tui limina Regis adi.  
 13 Ecce nitent verni purissima lumina solis  
 14 et clarum rutilans explicat aura diem.  
 15 Rura per et riguos laeti spatiabimur amnes  
 16 tu comites nobis quos potes ante para.  
 17 Sed comites non prae fractos nec fronte severos,  
 18 sed faciles apta dexteritate viros.  
 19 Qua vergunt prono Pegnesia flumina lapsu  
 20 ibimus, ipse locum conjice deinde, vale.

## JACOBO SCHONSTETERO DISCIP. SUO

S5\_46 v.1 Quod petis, auxilio jam te nullius egere  
 2 testantur verus quos, JACOBE, facis ;  
 3 talia namque tibi cum dictent carmina Musae  
 4 qualia Pieria cantet Apollo chely,  
 5 quid petis auxilium scribenda in carmine nostrum ?  
 6 Hoc quoque jam dudum si quod habemus, habes.  
 7 Tu modo Pieridum sic ludere perge sub umbris,  
 8 dum tener aetatis flos viret iste tuae  
 9 venturamque tuo capiti jam necte coronam  
 10 quam nequeant longi comminuisse dies.

11 Haec tibi maturo semper florebit honore,  
 12 tunc etiam cum te cana senecta premet  
 13 tempore non ullo nam vivida Musa senescit  
 14 imberbem Phoebum sicut et esse vides.  
 15 Vis igitur, vis vitae omnes florere per annos  
 16 ipse tui Musas tempore veris ama.  
 17 Sed facis et non es nobis hac parte monendus,  
 18 jam satis appositum mens tua calcar habet.  
 19 Perge modo et nostro contemptas tempore Musas  
 20 nullius impulsu deseruisse voles.  
 21 Tempus erit quo te possis gaudere secutum  
 22 consilia haec Hessi, qualiacumque tui  
 23 isto te interea figentem in pulvere gressus  
 24 si libet, ad Musas dux eris ipse tibi.  
 25 Ecce vides per nos monstrata cacumina montis  
 26 quem petis, hoc tantum nunc tibi restat iter.  
 27 I modo nec dubita magnos superare labores,  
 28 non eris Aonii gloria parva chori

## SEBALDO HEIDO SUO.

S5\_47 v.1 Exieram gelidas apricaturus ad undas  
 2 pura velut verni lumina solis erant,  
 3 deflua adhuc haesit nix in Pegneside ripa  
 4 rara hiemis facies ceu fugientis erat,  
 5 laeta renascenti meditabar carmina Phoebo  
 6 nostra hoc, si nescis, pectora numen agit.  
 7 Qui tamen Hesperias ubi se inclinavit ad undas  
 8 invito redii sub mea tecta gradu.  
 9 Jamque reversus eram, jam limina nota tenebam  
 10 invenio digitis verba notata tuis.  
 11 Expedior chartamque avido dum lumine lustro  
 12 inscriptum foliis nobile carmen erat.  
 13 Hoc erat aprici gavisum ad lumina solis,  
 14 hoc erat aethereo pectus amore rapi.  
 15 Scilicet idem animum rapuit deus, obtulit idem  
 16 quae legerem tereti carmina facta pede.  
 17 Gratulor applaudoque tuae, Seobalde, Camenae  
 18 lumine te dextro Christus Apollo videt.

## AD LUCAM MYSNERUM SUUM

S5\_48 v.1 Si quid amicitiae nostrae comes unice, Luca,  
 2 in te nos juris si quid habere putas,  
 3 sed quod amicitiae non laedat juris honorem  
 4 polliciti memorem te decet esse tui.  
 5 Non quia promissi possis hac lege teneri  
 6 quam transisse tibi debeat esse nefas.  
 7 Sed quia nunc discas sub Regibus esse tyrannis  
 8 laedere quos eadem sit ratio et facere,  
 9 hoc simul imperii nostri pro jure jubemus  
 10 vespere ut hoc hodie nos adisse velis.  
 11 Aurea visurus condentem lumina solem  
 12 illum vidisti quem stupefactus heri.

## VI

## HELII EOBANI HESSI SILVARUM LIBER SEXTUS

BILIBALDO PYRCAYMERO. V.C. NORICO.

S6\_1 v.1 Et si nostra bonis non sunt satis aequa camenis  
 2 tempora, et ingeniis nullus habetur honos.  
 3 Quando tot obscurant doctos mala nomina, sed quae  
 4 nomina posteritas nulla probare queat.  
 5 Qui sibi splendorem Musis peperere fugatis,  
 6 per scelus invento quod modo nomen habent.  
 7 Si tamen existat studiorum verus amicus,  
 8 hunc tu, ni lateat, posse manere putes ?  
 9 Heu, male compositos per inertia tempora mores  
 10 ergone stultitiae non modus hujus erit ?  
 11 Sed tamen haec inter fatui studia improba vulgi,  
 12 non patitur laudes fama perire tuas.  
 13 Nec minus hoc tristi tua gloria tempore floret,  
 14 quam si sint studiis praemia justa bonis,  
 15 quod tibi de studiis nomen, Bilibalde, paratum est  
 16 invidia salvum iudice nomen habes.  
 17 Et cum multa orbi dederis documenta tuarum  
 18 virtutum, linguae, pectoris, ingenii.  
 19 Cumque tot a populo passim tua scripta legantur,  
 20 et vacet in laudes utraque lingua tuas.  
 21 Non levis illa meam subit admiratio mentem,  
 22 cur mihi sis totus cognitus ante parum.  
 23 Novimus eloquii praestantem laude pedestris,  
 24 et lingua quidvis Attide posse loqui.  
 25 Novimus ingenio callere mathemata miro,  
 26 et quicquid Sophiae totius orbis habet.  
 27 Expediisse sacri scrupulosa volumina juris,  
 28 utilibus nulli cedere consiliis.  
 29 Hactenus haec orbi de te sunt cognita, nobis  
 30 pars ignota tui maxima paene fuit.  
 31 Quod bona tam facili deducis carmina vena,  
 32 ista me poteris parte latere tui ?  
 33 Vidimus, ut ratio constet tibi carminis hujus,  
 34 quales Durero solveris inferias.  
 35 Funebres vidi, dii qualia carmina, Musas  
 36 impia Durero fata fuisse queror.  
 37 Quae quia tam faciles tibi sunt in carmina, quid ni  
 38 laudibus accedet splendor et iste tuis ?  
 39 Quid tua ceu lucem fugiat tam sola vagatur  
 40 Pieris, in scaena digna patente legi.  
 41 Musa coronatis spectari digna theatris,  
 42 non ita diffidens debuit esse sibi.  
 43 Et nisi, quod nolim, populo sese invidet ipsam,  
 44 ingrata est nimium dotibus ipsa suis.  
 45 Adsere nunc ergo residem, vir docte, Camenam,  
 46 adsere et in populo fac tua scripta legi.

47 Multa quidem populo passim tua scripta leguntur,  
 48 carmina de multis pauca fuisse voles.  
 49 Quare age quae nostro funebria ludis Apelli,  
 50 da rogo cum nostris carmina posse legi.  
 51 Nos iterum dabimus quae scripsimus ante legenda  
 52 pluraque iudicio sed statuenda tuo.  
 53 Te duce, nostra suos acquirent scripta favores,  
 54 nec te nostrorum forte pudere potest.  
 55 Accedent aliorum etiam, sed qualia possis  
 56 ferre novos tumulos inter et ante legi.  
 57 Vive decus patriaeque tuae praesentis et aevi,  
 58 dotibus ingenii vix habitura parem.

AD EUMDEM, DE STUDIORUM CONTEMPTU.

S6\_2 v.1 Inclute Germanum fama Bilibalde per orbem,  
 2 note per Hesperiae litus utrumque plagae,  
 3 saepe tuas tacito mirantem pectore dotes,  
 4 jussit inarguta scribere Musa chely,  
 5 ante tuos volui vultus et docta videre  
 6 pectora, quam rudibus sollicitare modis,  
 7 contigit, et voto favit fortuna, deditque  
 8 nuper amicitiae proxima jura tuae.  
 9 Docte vir et studiis et honoribus aucte probatis,  
 10 forte voles causam noscere, certa subest.  
 11 Ipse vides isto quam nullae tempore Musae,  
 12 jamque ut sint aliquae quam sine laude canant.  
 13 Quin potius quam futilibus plena omnia nugis,  
 14 quam sint rixosis omnia plena libris.  
 15 Fata senescentis quae nam sint pessima saeculi  
 16 quae numeris constet littera nulla placet.  
 17 Nec tantum numeri fuit hoc fortasse ferendum,  
 18 gloria linguarum quae stetit ante jacet.  
 19 Non tamen hic locus est, non isti causa querelae,  
 20 quod loquerer tecum, vir memorande, fuit.  
 21 Tam mala dum video, tamquam improba tempora Musis,  
 22 ad Musas timido discimus ire pede.  
 23 Atque haec sera meae quod venit littera dextrae,  
 24 dum pudet, et timeo scribere causa fuit.  
 25 Non quia te Musis dubitem vehementer amicum  
 26 quem proprio fovit Musa benigna sinu.  
 27 Sed quia me studii jamdudum nausea talis  
 28 cepit, et elinguem garrula turba facit.  
 29 Nempe vides postquam tam prava licentia facta est  
 30 omnibus aedendi barbara scripta plagis.  
 31 Egregia interea longo monumenta veterno  
 32 passa graves tineas et sine luce jacent.  
 33 Omnia Teutonicis implentur scrinia chartis,  
 34 doctus in his vulgo quilibet esse potest.  
 35 Non ego dedignor patrii sermonis honorem,  
 36 praeferrī veris commoda falsa queror.  
 37 Nam quis non videat peritura haec cuncta sine illis ?  
 38 Invalida haec tempus dissipat, illa manent.  
 39 Nos tamen hanc facimus jacturam temporis hujus,  
 40 queis, nisi apud Musas, vivere poena fuit.  
 41 Haec tamen in paucis qualem te nostra tulerunt

42 saecula, solamur vulnera nostra, bonis.  
 43 Ista nec usque adeo grassata est improba pestis,  
 44 ut ne parva quidem spes superesse queat.  
 45 Quae tamen hoc major meliorque affulsit, ut isthac  
 46 talem te nobis nuper in urbe dedit.  
 47 Cujus ut ante decus mirati nobile famae,  
 48 nunc etiam experti pectora docta sumus.  
 49 Hoc quoque plus nobis quam possis credere gratum est  
 50 hospitii defers quod mihi jura tui.  
 51 Si tamen officio nostras dignere Camenas  
 52 ut videas, magni hoc muneris instar erit.  
 53 Et tantum videas nec enim te plura rogatum,  
 54 quique nec audacem me sinit esse pudor.  
 55 Namque ego tam vecors quam sim sine fronte molestus,  
 56 si turbem studiis otia nata tuis.  
 57 Et quae tu curis longe melioribus offers,  
 58 non decuit nostra tempora sorde teri.  
 59 Hoc quoque vix aliquo deductum tempore carmen  
 60 anxius an posset displicuisse fui.  
 61 Quod si responso tu nos veneraberis ullo,  
 62 Musica adhuc aliquas Phocis habebit aquas.

HIERONYMO BAUMGARTNERO V. C. NORICO.

S6\_3 v.1 Jam Sol Hiberni fugiens Chironis ab arcu,  
 2 capripedem reduci lumine Pana videt.  
 3 At memini cum nos Pegnesida vexit in urbem,  
 4 undivagi tenuit cornua torva bovis.  
 5 Interea totiens latuit totiensque renata est,  
 6 jam novam reficit menstrua Luna rotam.  
 7 Et nulli melius numerarunt tempora amantes,  
 8 quam nos Hercynia donec in urbe sumus.  
 9 Longa mora est, et degeneres mihi tempus in horas  
 10 crescit, et utilium copia nulla datur.  
 11 Obtulit arridens unum fortuna sodalem,  
 12 arte parem studiis ingenioque meis.  
 13 Is fuit Aonidum comes unicus inter amores,  
 14 qui procul a nobis nunc Joachimus abest.  
 15 Sive elegos nobis seu grandia plectra moveret,  
 16 seu caneret lyrico garrula Musa pede.  
 17 Ille meos cupido miratus pectore versus,  
 18 reddebat numeris consona plectra meis.  
 19 Cumque inhonoratae jaceant hoc tempore Musae,  
 20 illarum indoluit pectore et ore vicem.  
 21 Nunc illum Hesperios fines et Ibera petentem  
 22 litora tu reducem sistere, Christe, velis.  
 23 Tu quoque qui cultis patrium cognomen ab hortis  
 24 ducis, et ingenio clarius esse facis.  
 25 Tu quoque contigeras nostris, Hieronyme, Musis  
 26 non secus ac fessae portus et aura rati.  
 27 Sed rapiunt patriae praeclara negotia, nec te  
 28 natum dura tuis esse tibi sine sinunt.  
 29 Causa quidem justa est longe et pulcherrima, si quid  
 30 ponderis altiloqui verba Platonis habent.  
 31 Qui tamen in partes vitam quia distrahit aequas,  
 32 nulla trium numero praetereunda fuit.  
 33 Quamvis ipse quidem, quantum licet, omnibus aequa

34           insumpsisse operam condicione soles.  
 35       Sicut ut hanc nuper fatis ducentibus urbem  
 36           venimus, experti non sine teste sumus.  
 37       Sicut et ingenuo tua Musa pudore fatetur,  
 38           contrahit in celeres dum sua verba modos.  
 39       Sed tamen ingenio florenti, et rebus agendis,  
 40           enato veniam nos tribuisse decet.  
 41       Et tibi non aliud praeclarius esse fatemur  
 42           quam patriae utiliter consuluisse tuae.  
 43       Sed tamen et quosdam rebus patriaque potitos,  
 44           non semper curis invigilasse ferunt.  
 45       Tempestitiva graves levat intermissio curas,  
 46           liberaque utilibus gratia mixta jocis.  
 47       Sicut multa gravant sic otia pauca levabunt.  
 48           Praecipue laetos Musa jocosa facit.  
 49       Ergo age si nondum toto de pectore cessit,  
 50           qui tibi Musarum nuper inhaesit amor.  
 51       Cur tam pauca tuae veniunt mihi scripta Camenae,  
 52           cur minus es nobis, quam decet esse, frequens.  
 53       Quin potius celeres, tua carmina nuper, iampos  
 54           saepe animi testes jusseris esse tui.  
 55       Turpe quidem non est praeclarum munus agenti,  
 56           dum vacet a magnis ista minora sequi.  
 57       Reddideris nostras alacres quoque ad omnia Musas,  
 58           si videam spretas non habuisse vices.  
 59       Quod si, sicut habent nullas hoc tempore laudes,  
 60           tu quoque contemptas deseruisse voles.  
 61       Quae prius undanti manabat copia fluxu  
 62           stabit, et in mediis arida fiet aquis.

SEBASTIANO A ROTENHAN EQUITI.

S6\_4   v.1   Altera jam grato mihi venit epistola vultu,  
           2       altera jam dextrae sunt data scripta tuae.  
           3       Nostra tamen meritam non reddidit ulla salutem  
           4       Musa, novo prorsus crimine facta nocens.  
           5       Per sacras ignosce, vir o clarissime, Musas,  
           6       auspicio nobis quas meliore colis.  
           7       Nam neque quo purget manifestae crimina culpae,  
           8       muta prius facta est garrula Musa mihi.  
           9       Sed magis ut veniam commissum fassa reatum  
 10       impetret, et praesens, quod petit, ipsa ferat.  
 11       Non ego non volui rescribere saepe, sed ipsum  
 12       quod volui ratio quae prohiberet erat.  
 13       Quae tamen, ut fatear, non est ita magna, sed hujus  
 14       hoc animi vitium non habuisse velim.  
 15       Quod quia consilio procrastinat omnia lento  
 16       tardior hoc venit littera nostra tibi,  
 17       adde quod exsulibus tam sunt haec tempora Musis  
 18       improba, ut ipsarum te puduisse queat.  
 19       Non tamen haec nostrae ratio est satis apta querelae  
 20       ad te qui Musas ut tua sacra colis,  
 21       cujus ab ingenio ceu Musica flumina manant  
 22       blandaque Phoebeas gratia spirat opes,  
 23       qui sacra Musarum claris natalibus addis  
 24       tamque his quam patria nobilitate nites.  
 25       Hoc gentiliciis nova condere nomina fastis,

26           hoc specimen verae nobilitatis erat.  
 27       Macte animo, patriam laudem, Rubigalle, per istos  
 28           his auctam titulos moribus esse facis  
 29       utque nec admirer quae sunt communia tecum  
 30           pluribus, et magni nominis instar habent.  
 31       Scilicet est aliquid gentes vidisse repostas  
 32           orbe alio, nec te consenuisse domi :  
 33       gloria sic facta est patientis major Ulyssi  
 34           quam tua vel Phineu vel tua, stulte Mida.  
 35       Sic totum Alcidae virtus est nota per orbem,  
 36           primaque ceruleas turba profecta vias.  
 37       Plurima multiplicis callere idiomata linguae  
 38           hoc est ingenio non statuisse modum.  
 39       Et quae praeterea mirantur inertia vulgi  
 40           pectora, quae dici magnaue et esse solent.  
 41       Si minus haec in te, quando adsunt omnia, miror  
 42           quae magis admirer sunt tibi, causa fuit.  
 43       Felix ingenium nec pressum pondere rerum  
 44           quo tua vita istas non caret inter opes.  
 45       Quaeque tibi floret facundae gratia linguae  
 46           vita tenax fidei, mens pietatis amans  
 47       candida simplicitas, et liber in omnia candor  
 48           quaeque tot ex multis dicere longa mora est.  
 49       His ego te instructum tot dotibus, esse beatum  
 50           si mihi sit visum dicere, verus eram.  
 51       Sed quia non adeo contentus es omnibus istis  
 52           ni Musis etiam praemia justa feras.  
 53       Qui te non merito talem veneretur honore  
 54           hunc ego de Musis nil habuisse putem.  
 55       Hunc ego plus animum miror quam cuncta tuorum  
 56           stemma, fortunae quicquid et omnis habes.  
 57       Nunc igitur, fortissime Eques, laus prima tuorum  
 58           cor tibi devotum pectoris hujus habes.  
 59       Sic equidem tua me virtus tibi fecit amicum,  
 60           ut tibi deberi carmina multa putem.  
 61       Quae certe dabimus quando haec placuisse sciemus  
 62           haec sit amicitiae janua prima. Vale.

AD JOANNEM MYLIUM HERBIPOLITANUM JURECONSULTUM.

S6\_5   v.1   Inter amicitiae quondam pars unica nostrae  
           2           nomina, nunc etiam maxima, docte Myli,  
           3       qui tua quam meritis studia et virtutibus aequas  
           4           tam simul adjunctis legibus ista polis.  
           5       Nec modo sacra pias illustras jura per artes  
           6           sed colis et nostri Musica sacra chori  
           7       crimine quo nostris tu non ponare libellis  
           8           qualibus his annis ludere cumque licet.  
           9       Cur mea te sileant tam fidum carmina pectus ?  
 10       Quae mihi nunc Musae qualiacumque canunt  
 11       namque nec ignoras quia vena beator olim  
 12           fluxerit haec quae nunc arida facta mihi est ;  
 13       nec tu dissimulas quia candidiora fuerunt  
 14           quae mihi primaevi tempora veris erant.  
 15       Qualemcumque tamen vel tempora dura, vel aetas  
 16           serior, admittunt, vena ea tota tua est.  
 17       Namque ita tu meritis cumulatum semper amasti



18 ut pudeat meritam non retulisse vicem.  
 19 Et me saepe aliquas conantem reddere grates  
 20 hoc grave Musarum terruit exilium  
 21 namque quis exsulibus in tecta negata Camenis  
 22 in male consutis audeat ire togis ?  
 23 Sed quia quae Musas potuit contemnere, non tam  
 24 quam reliquis ratio convenit ista tibi.  
 25 Et quia tu contempta aliis Phoebelia nondum  
 26 abjicis, et toto pectore sacra foves,  
 27 ergo alacres ad te vultu venere remisso  
 28 non est ut quondam Musa superba mihi,  
 29 non sumpsere graves lauri de fronde coronas  
 30 has miseris aequum non habuisse fuit.  
 31 Non aurum in digitis rutilat, non vestibus ostrum  
 32 taliter extorres quis coluisse volet.  
 33 Simplicis in vultu fidei pudor emicat ipso  
 34 quem non abjectas dedecuisse putas,  
 35 si tamen exsulibus blandis accedere verbis  
 36 dignatus fueris non nihil inde feres.  
 37 Nam licet hoc jaceant abjectae tempore laudem  
 38 reddere mansuris vita futura potest,  
 39 et licet haec aetas nostris sit iniqua Camenis,  
 40 illis posteritas aequior omnis erit.  
 41 Hae spes abjectas haec tollunt vota jacentes  
 42 exanimes, ut spes nulla supersit, erunt.  
 43 Et neque nos ideo fugiunt, neque spernimus illas  
 44 qui colimus, quoniam commoda nulla ferant,  
 45 sed magis hoc illas colimusque et amamur ab illis,  
 46 nostra quod a fato gloria major erit.  
 47 Adde quod ingenui non est hoc pectoris, istud  
 48 metiri sola commoditate decus.  
 49 Divitias animi mirantur ad omnia parvi  
 50 quas qui contemnit maximus ille vir est.  
 51 Mirentur quicumque volent, dum laudis avarum  
 52 me non hoc vitium pectus habere sinat.  
 53 Quo tamen ista ? Myli doctissime, forte requires  
 54 ut videas quam nos tempora dura premant :  
 55 jam mea Cumanas aequassent carmina frondes  
 56 Noridos armiferae donec in urbe sumus.  
 57 Esset Maeonio jam notior Hesus Homero  
 58 qua patet Hercyniae nobilis ora plagae,  
 59 si quam tu nostras adamas laudasque Camenas  
 60 tam vulgo carae plausibilesque forent.  
 61 Ergo quid assiduis juvet indulsisse querelis  
 62 et totiens surdis auribus ista loqui.  
 63 Quandoquidem nostros ita ferrea corda sub annos  
 64 truserunt studiis fata inimica bonis,  
 65 ut licet ipse suis monstris comitantibus Orpheus  
 66 protinus e Stygia redditus exstet aqua.  
 67 Non tamen haec moveat qui moverat omnia quondam  
 68 pectora Sithonia frigidiora nive,  
 69 sed stupeat potius se saxa ferasque canendo  
 70 quam posse hos homines ducere quo sit opus  
 71 usque adeo stupidos homines, tam frigida corda,  
 72 tam pravos mores tempora nostra ferunt.  
 73 Haec questum totiens iterum tibi dura libebat  
 74 tempora, sed Musa non sine teste, queri.  
 75 Quae nulli melius poteram, carissime, questum

76 quam tibi lugubres mittere Pieridas.  
 77 Ut simul officii memorem fateare fuisse  
 78 quod tibi amicitiae jura dedere meae  
 79 et causam posses cognoscere, reddita quare  
 80 sit tibi adhuc dextrae littera rara meae.  
 81 Et tibi saepe meae doluerunt vulnera Musae  
 82 et mecum injustas questus es ipse vices.  
 83 Posthac si dabitur, si littera nostra placebit  
 84 plura feres nostra carmina ducta manu,  
 85 nam quoniam semel ausa tuos adiisse penates  
 86 est mea non solitis Musa referta jocis,  
 87 postmodo nec quaesisse tuas reverebitur aedes  
 88 sit licet arentes extenuata genas,  
 89 interea nostris superesse precare Camenis  
 90 ut possint fato prosperiore : vale.

SEBASTIANO MAGNO. V. C. NORICO.

S6\_6 v.1 Subdola mendacis quereris convicia linguae  
 2 ex aliqua famam laedere parte tuam.  
 3 Nec nova, nec nostro res admiranda sub aevo  
 4 quam quereris, quam te laedere, Magne, doles.  
 5 Digna nec assiduis ratio fuit ista querelis  
 6 contemptu potius praetereunda gravi.  
 7 Nam sibi quae constat, quae mens sibi conscia recti est  
 8 nulla levis vulgi murmura vana timet.  
 9 Verum animus scelerum depressus vulnere, semper  
 10 aestuat, alterius fata secunda videns.  
 11 Quando igitur nulli turpant tua pectora nevi,  
 12 quid tibi qui malus est quod bonus esse nequit ?  
 13 Cur te vana levis turbent mendacia linguae ?  
 14 Invidiaene suum virus inesse doles ?  
 15 Me juvat opprobriis lacerari saepe malorum  
 16 dum mea sit nullo crimine vita nocens.  
 17 Livor iners animum sinceram laudis amantem  
 18 excitat, hoc virtus languida calcar habet.  
 19 Lividus ipse sibi quantum volet arroget osor  
 20 siderea captos detrahat arce deos.  
 21 Dum tibi tu constes, dum sis sine crimine vitae,  
 22 cur metuas de te qualiacumque loqui ?  
 23 Quin age fer potius sortem patienter iniquam  
 24 crimina livoris fer mala, victor eris.  
 25 Aurea degenerem superat patientia fastum  
 26 si meruit certam littera sacra fidem.  
 27 Quare age, Magne, tuae gentis decus, abjice tales  
 28 curas, sunt animo certa venena tuo.  
 29 Vis etenim vitae Deo meritisque placere  
 30 atque hominum studiis officiisque coli.  
 31 Cura sit errantem dubiis in rebus Ulyssem  
 32 qua se, quaque suos extulit, arte sequi.  
 33 Qui vagus Ionii dum navigat alta profundi  
 34 pertulit in medio monstra canora mari.  
 35 Quae quia blanda ferunt certam per carmina mortem  
 36 incautasque solent praecipitare rates.  
 37 Obstruxit comitum ceris retinacibus aures  
 38 ne dulce incautos perderet exitium.  
 39 Sic quia nunc totum blandae Sirenes in orbem

40 se velut e medio devoluere mari.  
 41 Si sapis, obde tuas certis rationibus aures  
 42 nec vento expositas cuilibet esse sine,  
 43 saepe quidem quae non velles audisse dolebis  
 44 saepe audita etiam quae placuere vocent.  
 45 Nec levia ambigui moveant te murmura vulgi  
 46 seu tua diffament nomina sive probent :  
 47 solius ista suo qui temperat omnia nutu  
 48 arbitrium specta iudiciumque proba.  
 49 Qui nihil ut nescire potest, nec fallere quemquam  
 50 sic nulla falli condicione potest.  
 51 Fallitur humanas ratio ingeniosa per artes  
 52 et caeca est cum se cuncta videre putat.  
 53 In domino confide igitur, qui facta rependet  
 54 omnibus attribuens omnia lance pari.  
 55 Ille ut vera bonis aeternaque praemia solvet  
 56 vindice sic culpae puniet igne malos.  
 57 Ne quem vana igitur tollat fiducia, quo se  
 58 illius arbitrium posse latere putet.  
 59 Cuncta videt vigilans oculus Jovis, omnia novit  
 60 nec peccare oculum te pudet ante Dei ?  
 61 Sive audita igitur moveant te visave turbant,  
 62 si sapis, haec soli defer, et ista Deo.  
 63 Sic te nulla hominum famae contagia laedent,  
 64 fortis, et invicto pectore semper eris.  
 65 Vive meis dicende iterumque et saepe Camenis,  
 66 paucaque quae dedimus consule, Magne, boni.

## PHILIPPO MELANT.

S6\_7 v.1 Unica Musarum morientum vita, Philippe,  
 2 quam merito laudem nominis hujus habes,  
 3 ut reliquae taceant nostrae tua facta loquentur  
 4 contigit his certe munere vita tuo.  
 5 Ad vada nam miseri cum jam morerentur Hierae,  
 6 prorsus et humana desererentur ope.  
 7 Ad vada duxisti miseras Pegnesidos undae,  
 8 hinc nova quae venit mollior aura fuit.  
 9 Illic exsulibus domus est duce parta Philippo,  
 10 nunc domus est Musis esse ubicumque licet.  
 11 Nam quia sola suas urbs novit Norica dotes,  
 12 artibus ingenuis ingeniisque favet.  
 13 Quamquam o, sed, tristes ut amant haec tempora Musas,  
 14 praecipua hic populus laude vehendus erat.  
 15 Nam plenos optare gradus priscumque nitorem,  
 16 ingenii specimen desipientis erat.  
 17 Nunc ea sors miseris studiorum est facta ruinis,  
 18 ut quota sit, miseris esse licere, salus.  
 19 Sed tamen hanc alia dudum ratione querelam,  
 20 heu nimium surdis auribus occinui.  
 21 Et te saepe meis memini subscribere Musis,  
 22 atque eadem simili fata dolore queri.  
 23 Exstant et totum vivunt tua scripta per orbem.  
 24 Quis nescit nomen, docte Philippe, tuum ?  
 25 Nam tu, sive probas seu nolis esse quod audis,  
 26 non poterit fieri fama maligna tibi.  
 27 O merite eximiam laudem virtutibus istis,

28           esse quibus miror te potuisse parem.  
 29       Tu tamen odisti meritae praeconia laudis,  
 30           da veniam, Musa haec semper inepta fuit.  
 31       Et quoniam non vis ad te tua nomina mitti,  
 32           venturis de te gentibus illa canam.  
 33       Nunc ut ad incoeptum redeat mea Musa laborem,  
 34           quae quod habet totum debet et omne tibi.  
 35       Jam quater Austrinum sol declinavit ad axem,  
 36           torrida jam Cancri brachia parta petit.  
 37       Postquam me his terris et in hac regione morantem,  
 38           qualicumque oculo lubrica diva videt.  
 39       Tempore tam longo, quae fas est omnia testor,  
 40           nil nisi te coram non habuisse queror.  
 41       Consiliisque tuis licuisset et omnibus uti,  
 42           quae tibi tam large parca benigna dedit.  
 43       Esset eo melior quo nos fortuna removit  
 44           longius, et quererer tristia fata minus.  
 45       Quamquam non alicui ratio est hic justa querelae  
 46           omnia quam merui sunt meliora mihi.  
 47       Sola meis tua defuerat praesentia rebus,  
 48           namque futura loco numinis illa fuit.  
 49       Sed quoniam nobis fortuna ea vota negavit,  
 50           qua vice solaci possumus esse, sumus.  
 51       Interea pro te nobis tua saepe locuta est  
 52           littera, quae specimen mentis et oris habet.  
 53       Nunc quia te nobis eadem fortuna propinquum  
 54           fecit, et hac cupidis parte benigna fuit.  
 55       Moenia Franciaci jam desere parva Cobyrgi,  
 56           magnaque cum sociis Noridos urbis adi,  
 57       hoc volet ipse tuos non ultimus inter Ionas,  
 58           hoc, nisi non novi te, Spalatine voles.  
 59       Atque utinam voto pius ipse adsumat eodem,  
 60           nec grave nec nimium grande Lutherus, iter  
 61       si tamen hoc stultum est optare, nec utile forsitan  
 62           qui prius hunc misit quo volet ille ferat.  
 63       Nunc per amicitiae te jura novissima nostrae,  
 64           per studia et Musas, utraque nostra, rogo,  
 65       ut venias, nec te ulterius patiari rogari,  
 66           Cur te aliquid moveat quam mea Musa magis ?  
 67       Quae si, quod superi faciant, te forte movebit,  
 68           non poterit prorsus displicuisse mihi.

EXIMIO MEDICO D. JOANNI MAGEBUCCHO.

S6\_8   v.1   Docte simul medicas tractare fideliter artes  
          2           et quascumque simul noster Apollo probat,  
          3       accipe degeneris munus Levidense poetae  
          4           quod facit obliti muneris esse sui.  
          5       Qui quamvis animi curis gravioribus haeres,  
          6           quam tibi ut haec possint frivola scripta legi.  
          7       Dum tamen absistes curis animoque vacabis,  
          8           scripta leges Hessi qualiacumque tui.  
          9       Atque etiam quamvis studiis melioribus haeres,  
 10           quam levia ut possint nostra placere tibi.  
 11       Dum tamen a studio forsitan meliore vacabis,  
 12           ceu fatuas betas ista parerga leges.  
 13       Vel quia sit studii nobis communis Apollo

14 auctor, et ex illo nomen uterque trahat.  
 15 Vel quia nos ratio vinclo propiore ligarit,  
 16 et sit amicitiae nostra probata fides.  
 17 Debes exigui munus, Megabucche, poetae,  
 18 credere non falsi pectoris esse notam.  
 19 Et me, si nimium est, primis adscribere amicis,  
 20 extremos inter nomen habere pati.

## AD EUMDEM

S6\_9 v.1 Nate Machaonias studiis melioribus artes  
 2 jungere, ceu blandis lilia verna rosis.  
 3 Consulis ut medici subeam penetrabilia Phoebi  
 4 quo duce Musarum sit via trita mihi.  
 5 Atque ita me duplicis referam sub Apollinis umbram,  
 6 quod foveat simplex quam geminata minus.  
 7 Et quae contemptae jaceant hoc tempore Musae,  
 8 quas nec fama levet, sed premat atra fames.  
 9 Frigentes Musas Coos consoler ad ignes,  
 10 ut faveat causae Phoebus uterque meae.  
 11 Agnosco non ficta animum pietate refertum,  
 12 agnosco fidei munera plena tuae.  
 13 Verum qua ratione sequar teneamque quod opto,  
 14 consule, si vere quae facis ista facis.  
 15 Sed neque difficilis labor est duxisse volentem,  
 16 et via non adeo est haec peregrina mihi.  
 17 Et videor, faveat modo virgine natus Apollo,  
 18 invenisse viam qua tua jussa sequar.  
 19 Cetera quae brevibus non coepit epistola verbis  
 20 quam cuperem tecum, vir memorande, loqui.  
 21 Nunc totam Phoebus te distrahit iste per urbem.  
 22 Idem qui residem me jubet esse domi.  
 23 Otia sed multo furari pauca labori,  
 24 si potes, haec Hesso da, Megabucche, tuo.

## ELEGANTISSIMO POETAE JACOBO MICYLLLO SUO.

S6\_10 v.1 Candide Pieridum justissima fama Micylle,  
 2 inter qui Musas temporis hujus habent  
 3 scribis, ut admonitus totiens totiensque rogatus,  
 4 non referam scriptis mutua scripta tuis.  
 5 Arguis, et merito, manifesti criminis Hessem  
 6 et potes haec justo facta dolore queri.  
 7 Quid loquar ? Unde traham quam causae indicere possim  
 8 qui me damnatum non sinat esse color ?  
 9 Intentamne aliqua culpam ratione tuebor ?  
 10 An fatear certi criminis esse reum ?  
 11 Ut tuear possimque nocens non esse videri,  
 12 quis dabit ut non sim conscius, esse mihi ?  
 13 Ut fatear veniamque queam meruisse videri,  
 14 quis dabit ut verum, quod datur, esse putem ?  
 15 Sicut in ambigua positus regione viarum,  
 16 non satis exactum quo sit iturus habet.  
 17 Sic me iudicii duplici sub mole labantem,  
 18 quam non hoc relevat, tam gravat illud onus.  
 19 Et poteram, nisi plus vinci quam vincere vellem,

20 non aegre causam sustinuisse meam.  
21 Nam quid amicitiae nostrae decus addite, nam quid  
22 quod tu tam graviter jure queraris, habes ?  
23 Non, Jacobe, tuis rescripsimus ulla Camenis  
24 carmina, non gravibus verba soluta modis.  
25 Ergo tui nostrum tenuere oblivia pectus,  
26 quique in eo sedit jam fugiebat amor ?  
27 Dii melius, fidei quam mutua gratia nostrae  
28 tam cadat, aut etiam stet ratione levi.  
29 Quamvis hoc quoque qui non sit leve scire fatendum est,  
30 vix magis haec aliis foedera rebus ali.  
31 Non tamen est ratio quae me satis arguat isto,  
32 crimine amicitiae dissoluisse fidem.  
33 Non scripsi, quid enim ? Sed scribere saepe volentem,  
34 diversam ratio non tulit una manum.  
35 Ut taceam ignavi turbis quibus obruar oti,  
36 mens varia constat condicione sibi.  
37 Scribere nunc libitum est, nunc displicet, illius autem  
38 temporis est aliud quam fuit hujus opus.  
39 Jam bona neglecta est, mala nunc occasio venit,  
40 adstruere haec raro quod tulit illa potest.  
41 Saepe rudes libuit vel inanes mittere chartas,  
42 saepe mihi nullus qui tibi ferret erat.  
43 Adde quod hic animi procrastinat omnia torpor,  
44 hei mihi, quod causae non satis illud habet.  
45 Ille tamen simplex et fraudum semper inanis,  
46 quod saepe institui saepe relinquit opus.  
47 Sic tamen ut semper tibi candidus esset, et idem  
48 qui fuit, et qualem tu quoque habere soles.  
49 Jamne vides quia me tueatur causa nocentem  
50 nulla satis ? Veniam verba rogantis agam ?  
51 Parce per afflictas communia sacra Camenas  
52 credere me nostram posthabuisse fidem.  
53 Ante feret nullas noster Pegnesus arenas,  
54 ante meae fient Noridos urbis opes.  
55 Desinet ante tuus Rhenum contingere Moenus,  
56 ante retro cursus vertet uterque suos.  
57 Quam nequeam meminisse tui, quam pectoris hujus  
58 dedita simplicitas desinat esse tibi.  
59 Quamquam longe absis vicinus habebere nobis  
60 semper, et hoc veri pignus amoris habe.  
61 Nam mea seu teneras cantabit Musa capellas,  
62 quae scandunt volucris Norica saxa pede.  
63 Seu Nymphas quas litus habet Pegnesidos orae,  
64 seu quicquid meritum est quolibet ore cani.  
65 Semper eris nostrae quota pars, Jacobe, Thaliae  
66 semper eris Musae cura secunda meae.  
67 Tu quoque seu teneras cantabis, amice, puellas,  
68 quae celebris Moeni litora prima colunt.  
69 Seu quaecumque canes tali cantanda poetae,  
70 me quoque fer partem carminis esse tui.  
71 Digna quidem Phoebus canis omnia, dignaque Musis,  
72 si modo sit Phoebus, si modo Musa super.  
73 Hoc decus invideo, nec me pudet ista fateri,  
74 caerule Moene, tibi, caerule Rhene, tibi.  
75 Carminibus vobis Peneus cedit et Hebrus,  
76 hic vatis cithara nobilis, ille Dei.  
77 Quam cuperem vobis Pegnesus proximus esset.

78 Aut vos Pegneso proxima ferret humus.  
 79 Nostra simul vestras resonarent carmina laudes.  
 80 Et quae nunc capitis singula, bina forent.  
 81 Invida sed quoniam nobis hoc fata negarunt,  
 82 nos ratione una qua licet esse decet.  
 83 Hac ratione simul qua diximus esse licebit,  
 84 haec ratio quiddam corpore majus habet.  
 85 Nec tu credideris si raro nunc quoque ut olim  
 86 scribimus oblitos nominis esse tui.  
 87 Scribemus tamen et vacuas onerabimus aures,  
 88 heu, quales nugas, qualia monstra ferent.  
 89 Ipse modum cupies Musae posuisse loquaci  
 90 et modo te nullis auribus esse voles.  
 91 Quando igitur questa est pro te tua littera nobis  
 92 scribendo nullam nos retulisse vicem.  
 93 Scripsimus haec Musis dictantibus omnia nobis  
 94 carmina combustis aridiora focis.  
 95 Tu mihi rescribes dictantibus omnia Musis  
 96 carmina textilibus floridiora rosis.  
 97 Et mihi quam debes veniam tribuisse roganti  
 98 non debes causam ducere, ut ipse roges.  
 99 Nam mihi purganti confessae crimina culpae  
 100 materiae ereptum est commodioris opus.  
 101 Post meliora dabo sed liberiore Camena  
 102 infans, sub rigido iudice, Musa fuit.  
 103 Et merito, quia sic ausa est committere, causa haec  
 104 non ornanda igitur, sed peragenda fuit.  
 105 Vive memor nostri, carissime frater, amoris  
 106 quod precor ut possis nomen habere. Vale.

AD HIERONYMUM BAUMGARTNERUM DE THEOCRITO A SE VERSO.

S6\_11 v.1 Unice qui vere nostras, Hieronyme, Musas  
 2 officioque juvas et pietate colis.  
 3 Nunc tandem Siculis ductas e montibus agnas  
 4 pascere Romani jussimus arva soli  
 5 cuncta Syracusii sunt facta Latina poetae  
 6 hactenus a nobis quae potuere legi.  
 7 Sed tamen errat ad huc nec habet grex advena quemquam  
 8 quo duce inexpertum carpere possit iter.  
 9 Praecipue cum de mediae ceu barbariei  
 10 finibus in Latias gestiat ire plagas.  
 11 Heu mihi, quod non sum vel in illo tempore natus  
 12 quo sacra Musarum spernere turpe fuit,  
 13 vel quod ab hoc alium non contigit ire sub axem  
 14 quo magis in pretio carmina nostra forent.  
 15 Heu, vobis etiam donatae rure Latino  
 16 quod melius fatum non habuistis oves.  
 17 Nam qui vos Sicula nuper deduxit ab Aetna  
 18 quam metuo in Rheni ne vada praecipitet.  
 19 Quaeque Syracusia saturae recubastis in umbra,  
 20 Teutonica timor est posse perire fame.  
 21 Nunc igitur nostris, Hieronyme docte, capellis  
 22 consule, quemve ducem, quodve sequantur iter.  
 23 Nam quod idem nostro cessit male nuper ovili  
 24 est opus audaces non habuisse pedes.  
 25 Non tamen optarim quales habuisse solebant

26 Simichides capris Vergiliusque duces.  
 27 Da Musis facilem media de plebe patronum,  
 28 da qui non odio carmina digna putet.  
 29 Omnia praestiteris, nec adhuc querar improba Musis  
 30 tempora, et hoc aevum laude carere sua.  
 31 Hunc tamen in tanto populo si forte requiris,  
 32 da veniam nimium justa querela mea est.  
 33 Spes tamen est aliquem reperiri posse poetam  
 34 qui queat hoc tantum se coluisse pati.  
 35 Et nisi praeripiunt te commoda publica, vellem  
 36 hac tecum coram de ratione loqui.  
 37 Et simul informis partus ostendere Musae  
 38 pluraque quae scriptis non potuere dari.

AD JOACHIMUM CAMERARIUM REPETIT THEOCRITUM.

S6\_12 v.1 Hallerii prati frondes numerare cadentes  
 2 proxima quas Boreae flatibus urit hiems.  
 3 Par labor et frondes numerare et solvere grates  
 4 debemus meritis quas, Joachime, tuis.  
 5 Sed licet innumerae atque tuo sint munere tantae  
 6 quantas difficile est persoluisse mihi.  
 7 Majores tamen esse voles, et velle frequenti  
 8 obsequioque probas officioque doces.  
 9 Inde fit ut verear minus esse molestus, et inter  
 10 rumpere, conari quae meliora soles.  
 11 Quare age Simichidae quae sunt tibi scripta poetae  
 12 tradita, sub limam iudiciumque voca.  
 13 Atque ea tot nevis quot sunt in litore conchae  
 14 oblita, quam minimo tempore redde, precor.  
 15 Aut si non prohibent invisita negotia, nobis  
 16 quando ea cui tradas ambigis, ipse refer.

GEORGIO LEUCIO SUO.

S6\_13 v.1 Extulit Oceano croceos Aurora jugales,  
 2 Phoebaeum rutilo spirat ab axe jubar,  
 3 succedunt placidae formosa silentia luci  
 4 sideris hoc verni dixeris esse decus :  
 5 jam resonant tepidum mulcentibus aera linguis  
 6 et blandum tremula voce queruntur aves.  
 7 Turba salutantum rutilantia lumina solis  
 8 jam ruit, et passim lucida rura petunt.  
 9 Tu potes ocluso vel ad huc stertisse cubili,  
 10 tu potes exortum nolle videre diem.  
 11 Me juvat ad ripam stantes Pegnesida nymphas  
 12 cernere populeis frondibus esse graves.  
 13 Me juvat umbrifero viridantia prata recessu  
 14 visere, qua multo germine silva viret.  
 15 Nunc quoque si non est tibi nostra inimica voluptas  
 16 nec sunt tristitiae gaudia nostra tibi.  
 17 Surge age, nec grave sit dulces abrumpere somnos  
 18 mollibus et plumis exeruisse caput.  
 19 Candide, candidius quo nil queat esse, Georgi,  
 20 huc ades exorto dum tepet aura die.  
 21 Mollia dum teneri ludunt per gramina rores,



22           dum ceu nascenti lux nova pube viret.

IN ARMINIUM HUTTENI, GERMANIS SCRIPTORES, NON RES DEFUISSE.

S6\_14 v.1       Tot sua stat populis gestarum gloria rerum  
 2           salva, suum tot adhuc saecula nomen habent,  
 3       audet ad huc veteres reminisci Roma triumphos  
 4           et mortis quadam vivere parte suae.  
 5       Quae nequit ipsa suas ostendere Troja ruinas  
 6           Maeonio clarum carmine nomen habet.  
 7       Invida non totas merserunt funera Thebas  
 8           vivit ad huc Spartae non moriturus honor.  
 9       Nondum Palladiae prorsus cecidistis Athenae  
 10           quicquid et eximiae Graecia laudis habet.  
 11       Integra floret adhuc Pellaeae gloria gentis,  
 12           Persarum nomen fama superstes habet.  
 13       Innumerae gentes aliae sua nomina servant  
 14           quasque supervacuum, quasque referre mora est,  
 15       una suae merito fraudata est laudis honore,  
 16           semper et incelebris Teutonis ora fuit.  
 17       Cur ita ? Quae nobis res hunc invidit honorem ?  
 18           Fida alibi, cur hic fama maligna fuit ?  
 19       An quia non rebus clari : non Marte potentes ?  
 20           An quia nos victos saepe fuisse pudet ?  
 21       Non ita, nam rebus nec clarior ulla per orbem  
 22           gens fuit, aut ullo tempore victa minus.  
 23       Cur igitur ? Quia non rebus, sed nomina rebus  
 24           quae facerent scriptis nos caruisse liquet.  
 25       Praecipue cum floreret Germanica virtus  
 26           et nondum haec nostras luxus haberet opes.  
 27       Tunc memoranda aliis nostri gessere parentes,  
 28           tunc rerum virtus unica causa fuit.  
 29       Tunc quia scriptorum nos defecere labores  
 30           gloria Lethaeas nostra subivit aquas.  
 31       Nondum tota tamen, quoniam, licet invida, nostrum  
 32           non potuit totum fama tacere decus.  
 33       Et sparsim Romana suis ea littera rebus  
 34           inseruit, quae nunc pauca sed apta vides.  
 35       Atque ea, si quaeras, quae sint et qualia, debes  
 36           Hutteni patriae vindicis esse memor.  
 37       Is quaesita suis patriae monumenta libellis  
 38           aedidit, et lucem jussit habere novam.  
 39       Nam quia sparsa, aliis incognita, quaeque latebant  
 40           qui legeret rarus quique teneret erat.  
 41       Ille suas patriae laudes atque eruta passim  
 42           nomina digna legi, fecit ubique legi.  
 43       E quibus unus hic est quem condidit ipse libellus,  
 44           sed non auspiciis aedidit ipse suis.  
 45       Namque immatura praereptus morte reliquit  
 46           hunc quoque ceu partem funeris esse sui.  
 47       In quo si qua leges non qualia forte requiras  
 48           parte bona veniam qua mereatur habet.  
 49       Condidit Huttenus, non aedidit, ergo futurum  
 50           quod fuerat melius conjice, quicquid erat.  
 51       Hunc tibi Mauricius gentili Huttenus honori  
 52           fidus ab aeternis noctibus adseruit.  
 53       Hic ferus Arminius patriis qui victor in armis

54           afflixit vires Martia Roma tuas.  
 55       Hic nisi ad huc juvenis periisset fraude suorum  
 56           tu dominus Tibridi Rhene futurus eras.  
 57       Hunc quod habes patriae, lector studiose, libellum  
 58           Hutteno debes munera prima tuo.  
 59       Altera Mauricio, Joachimo tertia, nobis  
 60           quarta, aliquis nobis si locus esse potest.

## VII

### HELII EOBANI HESSI SILVARUM LIBER SEPTIMUS.

OMNIBUS BONIS REBUS ORNATISSIMO VIRO D. CASPARI SCHEETO  
 ANTWERPIANO AMICO SUAVISSIMO SUO.

S7\_1   v.1   Pura, Schete, fide nuper mihi cognite, Caspar,  
           2           dum noster vultus vidit Hiera tuos :  
           3           dum velut Aonidum coetu comitante subisti  
           4           moenia Thuringi non bene culta soli.  
           5           Non tamen ex illa hanc tibi mittimus urbe salutem  
           6           quae tibi vix bidui tempore culta fuit.  
           7           Sed qua monte sitam celso vagus alluit urbem  
           8           qui vix nota tibi nomina Lanus habet.  
           9           Nunc siquidem nostris Martburgum nobile Musis  
 10           gaudet, et hoc aliquid nomine laudis habet,  
 11           ex illa hanc igitur tibi mittimus urbe salutem,  
 12           quae spatio junctos nos brevior facit :  
 13           te tamen ad parvi notum mihi flumen Hierae  
 14           fecit amicitiae non violanda fides.  
 15           Haeret ab hoc animo nostro tua tempore virtus  
 16           quae tibi per Musas contigit ante diem.  
 17           Nam licet in primo vernet tua flore juvenus,  
 18           jam tamen ingenii dona virilis habet.  
 19           Et cum divitiis valeas, cum rebus abundes,  
 20           qualibus est omni vita colenda modo.  
 21           Non tamen ulla tuam ventosa superbia mentem,  
 22           non animos tollit gloria vana tuos.  
 23           Macte animo famam paries virtutibus istis,  
 24           quae tibi non falsa laude perennis eat.  
 25           Scribis ut eximii commotus laude Philippi,  
 26           frigida Saxonidos veneris arva plagae,  
 27           scribis et ut nostrae commotus nomine famae,  
 28           liqueris Antverpi moenia culta tui.  
 29           Hoc verae virtutis opus, non teste, nec ullis

30           exemplis, quorum voce probetur, eget.  
 31       Ut veteres taceam, quorum sunt nomina caelo  
 32           proxima, habent etiam tempora nostra fidem :  
 33       ipse ego suaviloqui miratus nomen Erasmi,  
 34           milibus excurri bis quater usque decem.  
 35       Temporis in mentem quoties venit illius, optem  
 36           tam me retrogrados non habuisse pedes.  
 37       Incluta namque mihi neque tunc Antverpia visa est,  
 38           cum tamen a tanta proximus urbe forem.  
 39       Et mihi nunc animum totiens dolor intimus angit,  
 40           desidia quoties sum memor ipse meae.  
 41       Atque utinam coepto e cursu me cura meorum,  
 42           et nimius patriae non revocasset amor.  
 43       Omnia vidissem tantam spectanda per urbem,  
 44           vidissem patriae moenia clara tuae.  
 45       Forsitan et meritae de me bene pulchra dedissem  
 46           nomina, postremum non habitura decus.  
 47       Paenitet his etiam non me propioribus usum  
 48           ingeniis, quibus urbs nobilis ista viget.  
 49       Sed tamen iste dolor decrevit tempore ab illo,  
 50           quo mihi amicitia junctus es, ipse tibi.  
 51       Gratulor uxoremque tibi cum dote pudicam,  
 52           quam forma Venerem vincere posse ferunt.  
 53       Gratulor inde et opes, quibus es dignissimus, istas  
 54           quas tibi perpetuo crescere fata velint.  
 55       Nunc tibi longa vetant cessantes carmina Musae  
 56           scribere, scripturae splendidiora brevi.  
 57       Vive memor nostri plures, mi Caspar, in annos,  
 58           quam fuerint Pylis saecula tota senis.  
 59       Vive tui sicut debes non immemor Hessi,  
 60           qui tibi fraterno est junctus amore. Vale.

INCLUTO MEDICO D. GEORGIO STURTIADAE ERPHURDIANO.

S7\_2    v.1       Nonnihil hesternam quamvis me nocte gravarint,  
           2           deprompta e lacubus dulcia vina tuis.  
           3       Non tamen immemorem potuerunt reddere, tamquam  
           4           tarda meam Lethes traxerit unda sitim.  
           5       Ac mea si Stygio quassarit tempora ramo,  
           6           exitio venit qui, Palinure, tibi.  
           7       Non adeo mihi vina nocent tua docte Georgi,  
           8           non adeo Musis sunt inimica meis.  
           9       Quin potius calidam stimulant in carmina mentem  
 10           qua famam bibulus laude Cratinus habet.  
 11       Cumque corymbiferi nobis sint numina Bacchi,  
 12           natura stimuli conciliante loco.  
 13       Quid mirum si tum Musis quoque digna canamus ?  
 14           Cum Baccho et Musis pectora nostra calent.  
 15       Non igitur credes nobis obliviam Bacchum  
 16           ducere, sed memores vera docere loqui.  
 17       Mittimus ergo tibi promissi scripta Sereni,  
 18           o vir Apollinea pluribus arte prior.  
 19       Miserat hunc nobis doctissimus ante Philippus,  
 20           dum mea Paeonias Musa petebat opes.  
 21       Accipe non falsi grato leve munus amici  
 22           pectore, saepe etiam munera parva juvant.  
 23       Tu quoque ne gratis dederim, mihi mitte vicissim

24           vina sed e vetulis faecibus usta. Vale.

AD EUMDEM JOCUS.

S7\_3    v.1    Vade, sed haec mandata meis fer epistola verbis  
           2           omnia cui debes maxima Sturtiadae.  
           3           Qua domus aligeri juvenis signata figura  
           4           stat vetus, et media servat in urbe locum.  
           5           Quae quia Mercurio sacra est et Apolline gaudet  
           6           praeside, non alii est quam tibi nota magis.  
           7           Illic haec verbis mandata fidelibus aedes,  
           8           si modo muta aliquid littera vocis habet.  
           9           Non quia forte tuas non sit rediturus ad aedes  
 10          Hessus ab hoc hodie limine fecit iter.  
 11          Sed tibi quod volvit venturam indicere cenam,  
 12          quod melius per me quam sua verba potest.  
 13          Tu modo deplumes merulas aliasque volucres,  
 14          Mercurii nitido ceperis aucupio.  
 15          Has fora, certa fides, tibi piscatoria praebent,  
 16          ni tua jam captas Angelopyrgus habet.  
 17          Quicquid id est jussit venturam indicere cenam  
 18          sive tibi pisces, sive parentur aves.  
 19          I nunc instabiles ludendo falle poetas,  
 20          omnia ut in cenam sordida lucra feras.  
 21          Rectius hoc nobis cessisses vile lucellum,  
 22          sic poteras cena commodiore frui.

MATHEAE CAPELLAE PHILONI SUO.

S7\_4    v.1    Montibus Hessiacis errantes saepe capellas  
           2           vidimus et multo pascua plena grege.  
           3           Vidimus agrestes errare per avia nymphas,  
           4           quas vaga difficilis per juga traxit amor.  
           5           Vidimus et fluvios et amoenos vidimus amnes,  
           6           quosque sacros fontes Hessia dives habet.  
           7           Terra ferax frugum quicquid tenet Hessidos orae  
           8           vidimus, et silvas, culmina, saxa, feras.  
           9           Moenibus excelsis munitas vidimus urbes,  
 10          vidimus immensis oppida cincta vadis.  
 11          Sed facile haec vidisse fuit, rursumque videre  
 12          forte etiam tempus quando libebit erit.  
 13          Te vidisse semel tot jam labentibus horis,  
 14          hoc opus Herculei paene laboris erat.  
 15          Tene vagabundis per colles orte capellis,  
 16          tam procul a nobis una capella rapit ?  
 17          Et tamen est nostrae patriae cognominis Aeglae  
 18          nec potior nobis Naias ulla fuit.  
 19          Sed soceri faciunt si tanta negotia Fauni,  
 20          vellem desineres talibus esse gener.  
 21          Quod faceres potius quam regia sceptrum gerentem  
 22          desereres ullo tempore, care Philo.  
 23          Ne pro rege igitur saevum experiare tyrannum,  
 24          contemptis Faunis regibus hospes ades.  
 25          Sic tamen ut pransus venias, nam nostra molesta  
 26          obsita pauperie tota culina vacat.

## M. HENRICO DUCI.

S7\_5 v.1 Inclute dux et amicitiae comes unice nostrae,  
 2 cui mea sunt solida pectora juncta fide,  
 3 si tibi quae possem persolvere nulla negavi,  
 4 si fuit officii pars tibi fida mei,  
 5 huc venias decimam cum linea conteget umbram  
 6 non bona sumpturus prandia, lauta tamen.  
 7 Sic tibi condicio cedat pulcherrima ludi,  
 8 cujus honorifica munera sorte geres.  
 9 Sic tibi sit facilis qui pulchrae praesidet Halli,  
 10 quo nihil eximius Teutonis ora videt.  
 11 Sic in amicitia tibi sint conjuncta perenni  
 12 omnia ridentis pectora blanda Croti.  
 13 Nam quia diversas abituri accingimur urbes,  
 14 quod reliquum est una temporis esse decet.

## EIDEM.

S7\_6 v.1 Quod nos plena vident abiturae cornua lunae,  
 2 nil miror, namque haec nos recidiva manent  
 3 cornua nam Lunae totiens redeuntia, nostrae  
 4 esse brevis vitae tempora parva, monent.  
 5 Ergo quod est reliquum, debemus credere, nobis  
 6 quam quo laetemur, temporis esse nihil.  
 7 Cetera sunt hominum vanis obnoxia curis,  
 8 vera voluptati vivere vita fuit.  
 9 Sic tamen ut ratio constet nec sola voluptas  
 10 ingenium vegetis viribus esse vetet.  
 11 Utque solent doctis convivia nostra libellis  
 12 plena, suis scriptis pocula nostra premant.  
 13 A quarta venies igitur, dux optime, tunc te  
 14 excipiet sumptu nostra culina brevi.  
 15 Non tamen hinc alium sine me cras ibis in orbem,  
 16 nam tibi erit pro me littera nostra comes.

## D. JOANNI FICINO CANCELLARIO.

S7\_7 v.1 Venimus Hessiaci tandem vaga flumina Lani,  
 2 unde absunt patriae non procul arva meae  
 3 quae puer annorum vernans in flore reliqui,  
 4 nunc repeto verso sidere paene senex.  
 5 Scilicet et rerum fuit haec fortuna mearum,  
 6 et seriem fati vincere nemo potest.  
 7 Tu nunc praecipue nostris, Ficine, camenis.  
 8 Tu mihi nunc resona saepe canende chely.  
 9 Nunc tibi in hanc patriam deductas adserere Musas,  
 10 o vir ab hoc animo non habiture parem.  
 11 Hoc animo quo jura Scholae nunc adseris hujus,  
 12 adserere qua debes omnia nostra fide.  
 13 Et me magnanimum, sicut facit, ante Philippum  
 14 laudis amatorem sis memor esse tuae.  
 15 Certe ego, fata sinant et fati maximus auctor,  
 16 hic etiam patriae pars quota laudis ero.  
 17 Si potui externos meritis ornare Penates,

18           invideam patriae cur decora ista meae ?  
 19       Quae me nunc reducem vultu exhilarata sereno,  
 20           excipit, in laeto ceu positura sinu.  
 21       Tu modo praesidium reducis, Ficine, Thaliae,  
 22           digneris rebus dexter adesse meis.

## CASPARI RUDOLPHO

S7\_8    v.1       Reddita quae nobis a te modo littera venit,  
           2           perlecta est oculo vix vigilante mihi.  
           3       Nam caput hesterno gravidum torquebar Iaccho  
           4           et modo de plumis vix relevatus eram.  
           5       Sed quae tu nobis ingrata fuisse vereris,  
           6           ante oculos culpam non habuere meos.  
           7       Quare age, mitte graves laeto de pectore curas,  
           8           et mox ut videas prandia nostra veni.

## PRO INGRESSU IN SCHOLAM MARTIBURGENSEM DE SE IPSO.

S7\_9    v.1       Ille ego qui primo vernans in flore juventae,  
           2           deserui patriae dulcia rura meae.  
           3       Jam senior decimi spectans confinia lustris,  
           4           huc refero fessos per loca multa pedes.  
           5       Quae mihi Parrhasia tot sunt peragrata sub Arcto,  
           6           quae vagus innumeris Sarmata bobus arat.  
           7       Qua caput et profert, et fertur in aequora Rhenus,  
           8           qua velut in centrum Teutonis ora coit.  
           9       Erranti ut quadam tenuis assimulatus Ulyssi,  
 10           post patriae reddar bis tria lustra meae.  
 11       Ut qui praecipuas Germani nominis urbes  
 12           versibus ornarim non sine laude meis.  
 13       Idem nunc patriae non tantum nomina famae,  
 14           verum etiam fructus et pia facta colam.  
 15       Quamvis Hessiacas non uno in carmine laudes,  
 16           et patriae clarum pinximus ante decus.  
 17       Dum canimus nostris Latias in montibus agnas  
 18           fama meo patriae parta labore fuit.  
 19       Dum canimus sanctas juvenili Heroidas ausu  
 20           carminibus nostris Hessia nomen habet.  
 21       Scripta tot eximiis epicedia manibus exstant  
 22           in quibus est patriae nobilis hujus honor.  
 23       Quid loquar invicto nuper data scripta Philippo ?  
 24           Immemor an patriae nostra Thalia fuit ?  
 25       Omnia quid memorem, nec enim libet, Hessidos orae  
 26           dicta meo versu nomina mille liquet.  
 27       Forte tamen fuerat plus inventura favoris  
 28           ista mihi in patrio gloria parta sinu.  
 29       Quod quia nostra alio ducentia fata negarunt,  
 30           nil ea quod merito causa queramur habet.  
 31       Quin potius reliqui quantum deus annuet, aevi  
 32           debetur patriae, temporis, omne meae.  
 33       Quare age Lanicolae qui Pallados incolis urbem  
 34           et cultum ingenii quemlibet inde petis  
 35       omnia laeta tibi de me promittere debes,  
 36           postquam nunc reducem me patria ista videt.  
 37       Non erimus patriae indecores nec inutilis oti

38 ullum de nostro nomine crimen erit  
 39 liquimus assueti te propter litus Hierae  
 40 cultaque in Hessiaca venimus arva plagae :  
 41 huic modo fert animus studio inservire fideli  
 42 si sinat hoc, qui nos quod sumus, esse sinet.  
 43 Cetera fatorum series moderabitur, et qui  
 44 sub pedibus fati jura subacta premit.

CASPARI RUDOLPHO SUO.

S7\_10 v.1 Seu te musta juvant seu vina vetusta requiris,  
 2 pars nova amicitiae, docte Rudolphe, meae.  
 3 Huc ades Hesperium dum sol declinat in aequor,  
 4 dum vocat ad cenam linea quinta, veni.  
 5 Pauca tibi in vacua ponentur holuscula mensa,  
 6 non habet augustas parva culina dapes.  
 7 At bellaria erunt mensae non vana secundae  
 8 vina, joci, risus, scommata, verba, sales.  
 9 Jam rumpent vacuos inamoena negotia lusus  
 10 temporis utamur condicione dati.

FORIBUS SCHOLAE MARTIBURGENSIS AFFIXUM.

S7\_11 v.1 Carmina desidibus nuper properata Camenis  
 2 edideram, toti pauca legenda Scholae  
 3 quae quia per totam sine me vulgaverat urbem  
 4 qui descripta typis ista legenda dedit.  
 5 Nunc alia ratione, alios ubi carmina sensu  
 6 haec damus, ut ne bis una eademque legas.  
 7 Utque scias nostrae quae nunc sententia menti  
 8 insideat, quod sit quod meditemur opus  
 9 cras ubi purpureos aurora reduxerit ortus  
 10 nonaque jam clarum fecerit hora diem.  
 11 Pauca tibi in nostrum praefabimur orsa laborem  
 12 quae nunc est numeris res obeunda meis,  
 13 quam vicina novo Pomaeria nomine signant :  
 14 illa domus nostri prima laboris erit.  
 15 Haec tibi nunc rerum pubes studiosa bonarum  
 16 duximus officio significanda brevi  
 17 nos ubi Lanicolae sors insinuaverit urbi  
 18 plenius, e nobis commoda plura feres.

IN LIBELLUM D. JOAN. DRACONITIS.

S7\_12 v.1 Postquam est aperta et explicata veritas,  
 2 per scripta Christiana, per verbum Dei,  
 3 ut ipsius vel e media plebe infimi  
 4 mysteriorum conscii, nil ambigant :  
 5 quin constet antichristidos regnum Scholae  
 6 venisse in ista et perdidisse tempora  
 7 quid ni fateamur antichriston impium,  
 8 exterminandum Christianis omnibus  
 9 et persequendum Christianis omnibus  
 10 constante veritate, scriptura, fide  
 11 ne pergat ultra Christianos fallere ?

12 Tyrannica crudelitate, fraudibus  
 13 si forte quaeris illius potentiam  
 14 novisse plus quam regiam potentiam  
 15 auctoritate quae sit ad verbum dei,  
 16 quod ipse depravarit improbissime,  
 17 et plura eodem scripta pertinentia  
 18 haec cerne scripta quae Draconites tibi  
 19 sed scripta pauca, at erudita condidit  
 20 quae Christianae veritatis maximam  
 21 partem, scopumque persequendum continent.

PETRO NIGIDIO

S7\_13 v.1 Quae natat in nostro vivax anguilla catino  
 2 venit et est facili praeda paranda manu.  
 3 Talia enim nobis persaepe, sed aeris avarae  
 4 Lanicolae mittunt munera Naiades,  
 5 quae si tam faciles, quam sunt ad munera doctae  
 6 ad vix nota vagae Cypridos arma forent.  
 7 Saepe ego piscari cuperem, retinentibus ipsis  
 8 explicitae nobis humida lina plagae  
 9 quae tibi amicitiae decus et comes unice nostrae  
 10 Petre, minus faciunt, abdita verba, satis.  
 11 Huc ades ad decimam cum linea defluet umbram  
 12 et vacuae pones garrula sceptra Scholae.  
 13 Huc ades excoctum sumpturus ab ignibus anguem  
 14 sed cui non aliquod virus inesse putes.  
 15 Tu nisi nemo aderit, nisi solus adesse gravere,  
 16 et poterit parvas esse Capella dapes ;  
 17 mox te, Petre, tuis post prandia sumpta remittam  
 18 o pateras mecum non bibiture graves

D. MATHEO HERDENIO JURECONSULTO.

S7\_14 v.1 Docte sacras Latio leges vestire lepore  
 2 seu libeat patrii 'chumatos' ore loqui,  
 3 quid tibi nunc isto referam pro munere grates  
 4 quo te sum factus iudice dignus heri  
 5 venatus lepidos per Musica prata lepores,  
 6 quid lepores mittis, docte Mathee, mihi ?  
 7 Qui tibi nec lepores possum nec mittere damas  
 8 desine, sedulitas nil habet ista lucri.  
 9 Si tamen hoc spectes quia verba remittere possim  
 10 atque aliquod verbis pondus inesse putas  
 11 isto vincemus locupletes nomine Croesos,  
 12 non aliquis vincet munera nostra Midas,  
 13 non tamen iccirco mihi non donatus abibis  
 14 atque aliquo certe munere noster eris  
 15 quod mihi quodque tibi qua sit ratione futurum  
 16 hoc totum melius saecla futura scient.  
 17 Ne tamen ingratus videar tibi, neve tacendo  
 18 suspicio fastus arguat ulla meos.  
 19 Te precor, occiduas ubi crastinus ibit ad undas  
 20 Lucifer, et quartam traxerit hora notam,  
 21 huc age frugali cenae, conviva futurus  
 22 o propriis meritis saepe rogande, veni.



## AD CASPAREM RUDOLPHUM

S7\_15 v.1 Si forsā libet et potes redire  
 2 ad nos, Caspar amabilis, redito  
 3 nec magnam tibi pollicere cenam,  
 4 sed parcam modicamque lautulamque,  
 5 qualem ponere pauperes Poetae,  
 6 nec juris soleant tibi magistri,  
 7 nec sacri soleant tibi magistri,  
 8 inter fercula magna contionum  
 9 sacrarum. Quis enim precetur illis  
 10 quam sic vivere, vivere et suerunt.  
 11 Sed tu nunc ades, hic tibi parata est  
 12 frugi cenula, non superba luxu  
 13 quam gallinula finiat, nec ultra  
 14 est quod tu metuas graves culillos.  
 15 Si forsā tibi non vacat venire,  
 16 ac, si veneris, est perinde nobis.

## IN LIBRUM CORVINI AD D. FICINUM CANCEL.

S7\_16 v.1 Heroum si grata tibi, Ficine, feruntur  
 2 munera, si regum qualiacumque probas,  
 3 cur non hujus ames velut aurea dona libelli  
 4 quem dat amicitiae dextra benigna tibi ?  
 5 Quem tibi, Corvini, studiis labor auctus honestis  
 6 Regis ab aetherae protulit arce domus,  
 7 hunc nisi et argento meliorem credis et auro,  
 8 te quoque cum populo vana probare putem.  
 9 Sed quia te novi talem qui frivola spernas  
 10 omnia, qui Christi dogmata vera probes.  
 11 Non metus est quin hunc etiam digneris honore,  
 12 quo consuevisti cetera ferre, librum  
 13 Ille tuae quoniam pars non levis addita famae  
 14 iudicio debet carior esse tuo  
 15 nec dare quod posset melius Corvinus habebat  
 16 nec melius quicquam tempora nostra ferunt.

## HERMANNO SCHELO DANO EQUITI.

S7\_17 v.1 Natales, Hermanne, tuos virtutibus aequans  
 2 inde decus famae nobilioris habes,  
 3 accipe promissum fidi tibi munus amici :  
 4 vix aliquo dignum muneris esse loco,  
 5 sed quia tu spectare soles quo pectore dentur  
 6 non quam sint pretio munera missa gravi.  
 7 Hic quoque spectabis candoris imagine cygni  
 8 numquid in hoc animo candor inesse queat ;  
 9 sed quia fama viret numquam moritura Poetis  
 10 hic viridem laurum sub pede calcat olor,  
 11 haec mihi florentes tribuerunt stemmata Musae  
 12 gloria nobilior non aliunde venit.  
 13 Te quoque ne dubita, carissime Schele, perennem  
 14 grata tuis meritis vivere Musa dabit :

15 vive brevi melius nostris celebrande camenis,  
16 nunc tibi scribentem vix brevis hora tulit.

## D. JUDOCO HESSO

S7\_18 v.1 Aurea Choericulae versu tibi praedia villae  
2 expetis Hessiaco, docte Judoce, cani  
3 obsequerer si digna satis per carmina possem  
4 Ringlebi nitidas dicere ruris opes.  
5 Ad tales memini major mihi gratia lusus  
6 Aonis, et quondam blandior aura fuit,  
7 cum mihi nativa spirarent indole versus  
8 funderet et largas copia dives opes,  
9 carmina cum faciles mihi pastoralia Musae  
10 et facili canerent pascua laeta pede,  
11 cum mihi Christicolae Heroidas ore canentem  
12 imberbi, stupida Vistula vidit aqua.  
13 Tum mihi ridebant per carmina laeta Camenae,  
14 tunc fuit ingenii gratia plena mei.  
15 Exclusit faciles aetas nunc serior annos  
16 et nunc est ratio quae Venus ante fuit.  
17 Non adeo tamen ista prior natura reliquit,  
18 non adeo est Musae gratia nulla meae.  
19 Ut me non moveant genitivi gaudia veris  
20 quasque agit immensas fructifer annus opes.  
21 Ut non flumina amem cultis viridantia ripis  
22 pascuaque et pinguis jugera laeta soli,  
23 ista placent certe feriantibus omnia Musis  
24 Musica namque urbes otia pejus alunt.  
25 Talia cum nuper nobis vidisse voluptas  
26 esset et hic animis incaluisset amor.  
27 Hos tibi non aliquo deduximus ordine versus,  
28 sed tamquam variis ficta parerga locis,  
29 accipe dilectae tibi carmina debita villae  
30 tamquam signa novis sculpta toreumatibus.

## MATHEAE CAPELLAE SUO.

S7\_19 v.1 An nisi venisset supplex tua voce rogantis,  
2 aemula, non factum Musa tulisset opus ?  
3 Non ita, nos etiam nulla si voce vocasses,  
4 ad tua facturi limina eramus iter.  
5 Ergo tibi reges aderunt ubi traxerit umbram  
6 ad summum decimae linea recta notae.  
7 Tu modo, sicut ais, facturum prandia ponas  
8 sobria, nam nobis ebria nulla placent.  
9 Non sumus 'oinobares' sed sobria turba poetae,  
10 unda sitim nobis non mera vina levant.  
11 Haec tibi non opus est vera esse ut teste probentur  
12 quorum tu testis proximus esse potes,  
13 sicut enim geminae verissima somnia portae  
14 mittunt, sic certa sunt mea verba fide.  
15 Quare age pro Baccho nobis Acheloia constant  
16 pocula, si verbis credis inesse fidem.  
17 Sin secus Eulyriae plenos crateras aquai  
18 pone, decent nostras garrula verba dapes.

## AD D. GEOR. STURCIADEM JOCUS.

S7\_20 v.1 Caede boves, adole pingues holocausta per aras,  
 2 apparet eximias crassa culina dapes.  
 3 Omnia pulveribus niteant condita Sabaeis  
 4 pixidas evacuet pharmacopola suas.  
 5 Persarum superent epulas tua prandia regum,  
 6 nunc valeant Siculae pontificumque dapes.  
 7 Rex conviva tibi veniet, quo ditior alter,  
 8 jam dudum Phrygios non fuit inter 'onous'.  
 9 Quo neque si vivat Morychus sapientior esset,  
 10 nec satis auriti tibia rauca Midae.  
 11 Quare age, Sturtiadum decus immortale Georgi,  
 12 disce voratrices regibus esse gulas.  
 13 Praeterea ne vina tibi suavissima desint,  
 14 disce tuis bibulas regibus esse gulas.  
 15 Magna pares igitur magno convivium regi,  
 16 est aequum magnis magna parare. Vale.

## JUDOCO HESSO.

S7\_21 v.1 Quae tu plena mero misisti pocula Regi,  
 2 pocula cassa mero Regulus ecce refert.  
 3 Digna tamen faciles referent tibi praemia Musae,  
 4 si qua tuis meritis praemia digna ferant.  
 5 Docte Camenarum dulcem sufflare monaulon,  
 6 quam virtus nobis est tua digna cani.  
 7 Quod si nos cultos invisere praecipis hortos,  
 8 et puer haec de te seria dicta refert.  
 9 Pura velut verni splendescere lumina solis,  
 10 quamque levis blandum rideat aura vides.  
 11 Quis queat alta domi remorantibus otia libris  
 12 ducere? Quis tetricos scribere versiculos?  
 13 Ingenium viridis naturae munera pascunt,  
 14 carminibus melior spiritus inde venit.  
 15 Si vis ergo tuum post prandia sumpta poetam,  
 16 in loca deliciis plena venire, jube.

## EIDEM

S7\_22 v.1 Si non prandia pauperis poetae  
 2 aspernaris amica, sed minuta,  
 3 sed jejuna, sed arida, et pusilla,  
 4 hoc te pollicitum fuisse nuper,  
 5 nunc debes meminisse te futurum  
 6 convivam mihi, quo die volebam,  
 7 atque is est hodie dies, ut ergo  
 8 promissis facias satis, venito  
 9 postquam nunc decimam notabit umbram  
 10 index linea, nunc vale et venito,  
 11 ingens Sturtiadum decus tuorum.

## D. JOANNI GRONINGO RECTORI.

S7\_23 v.1 Prandia non pretiosa tibi sed lauta parantur,  
 2 Palladis o princeps maxime Chaericolae.  
 3 Fercula summa dabit sed non argenteus anser  
 4 quem Capitolinus Juppiter esse volet.  
 5 Sudat ad ardentem tibi sed brevis offula prunas,  
 6 et stant ad calidum juscula pauca focum.  
 7 Haec tibi summa dabunt nostrae jentacula mensae,  
 8 si qua sit, est alio cena futura loco.  
 9 Nunc igitur, Groninge, bono cum fratre venito,  
 10 prandia plena jocis regia dives habet.

## APUD CASSELLAS IN SAXO PORTAE INCISUM.

S7\_24 v.1 Fortia qui statuit fortissimus ista Philippus  
 2 moenia, dux patriae maximus hujus erat.  
 3 Perpetuo celsas aequatas aggere turres  
 4 cernis, et haec quo sint tempore nata rogas,  
 5 mille ter undenis quingentas adjice messes,  
 6 et tres, plena novae tempora molis habes.

## IN EAMDEM SENTENTIAM ALIBI INCIDENDUM.

S7\_25 v.1 Felices placido qui tempore moenia firmant,  
 2 dum nondum ante fores Martia tela sonant.  
 3 Sic pius haec statuit parta jam pace Philippus  
 4 moenia ab hostili tuta futura manu.  
 5 Tempora si quaeras quibus haec sit condita moles,  
 6 postquam nostra salus virgine nata fuit.  
 7 Mille et quingentis ter denos adjice menses,  
 8 et sex, certa novae tempora molis habes.

## STUDIOSAE JUVENTUTI S. IN PRAELECTIONE QUINTILIANI.

S7\_26 v.1 Eia laeta et amabilis juvenus,  
 2 quae nunc, ingenio calente, primo  
 3 vernas pubere, sicut in vireto  
 4 apricis rosa solibus renidens,  
 5 florem destinat aestui futurae  
 6 messis, quam sibi pollicetur amplam,  
 7 cur ignobile ducis inter ipsos,  
 8 quos virtus parit, otium, labores,  
 9 ut primis rosa languet a pruinis,  
 10 quam vix frigidulis hiems momordit,  
 11 dum venit nova molliter pruinis,  
 12 quin accingeris, et capessis alto  
 13 dignum pectore spiritum, tuique  
 14 veris non pateris perire florem,  
 15 aestas ut numerosa ditioem,  
 16 autumnum tibi comparare possit.  
 17 Demum dulcis hiems sequatur, aevo  
 18 jam frigente, negantibusque succum  
 19 vitalem sive viribus medullis,  
 20 quod non divitiae tyrannidesve

21 quamvis immodicaeque maximaeque  
 22 ulla vi tibi praestitisse possunt,  
 23 ut Croesi bona somnies, ut omnes  
 24 Lydorum scopulos, ut omne spires  
 25 aurum Rex Asinus quod occupavit,  
 26 ut cedant tibi mille ter Darii,  
 27 solae reddere te queunt beatum  
 28 virtutes animique litteraeque  
 29 custodes operum omnium bonorum,  
 30 dotes ingenii, beata regna,  
 31 verae divitiae, quibus nec ullae  
 32 adrepent tineae teredinesve,  
 33 non fures nec edax peredet ignis,  
 34 non fati violenta vis maligni.  
 35 Et quod praecipuum dedere cunctis  
 36 dii mortalibus optimumque donum  
 37 linguae gratia, format, instruitque  
 38 vitae munera, facta, dicta, mores ;  
 39 atque ut dissimiles per hanc ferarum  
 40 sic plane similes sumus deorum.  
 41 O rem montibus aureis priorem :  
 42 hanc (ne longa tuas molestet aures  
 43 forsitan fabula) concupiscis ? Audi  
 44 atque amplectere, dumque prostat hauri.  
 45 Plenis fontibus, obviis labellis :  
 46 his est Quintilianus uber undis,  
 47 exundans, locuplesque prodigusque  
 48 pleno turgidus alveo, per omnes  
 49 campos volvitur impetu citato,  
 50 et plenis riget imbribus vireta,  
 51 Musarum sata, Rhetorumque pulchris  
 52 pictos floribus hortulos, nec ullum  
 53 intactum tibi surculum relinquit ;  
 54 qui non fructibus exserat trecentis  
 55 ornatum caput, esse quid putemus  
 56 isto dulcius elegantiusque  
 57 quo non eloquii parens Latini  
 58 decertare volet lubensque cedat  
 59 isto nomine, tanta gloriosi  
 60 virtus est Fabii, ut quod inde non sit  
 61 haustum deficiat, nec esse possit  
 62 quicquam floris amabilisve succi.  
 63 Hunc talem tibi litterata pubes :  
 64 commentabimur explicabimusque  
 65 hunc si forsitan amabis huicque toto  
 66 incumbes studio, nihil dolebis,  
 67 sed gaudebis adesse quicquid usquam  
 68 linguae blandula parturit voluptas ;  
 69 sed nunc dicere plura nec licebat,  
 70 nec tutum fuit. Ergo jam valebis.  
 71 Eia laeta et amabilis juvenus.

JACOBO MICYLLLO.

S7\_27 v.1 Carmina flebilibus tibi scripta, Jacobe, camenis  
 2 vidimus, aeterno tempore digna legi  
 3 qualibus exstinctos lacrimis defleris amicos.

4 Muta prius, jussa est, Albidos unda loqui.  
 5 Albi nimis justis tristissima causa doloris,  
 6 quas dabis, in poenas non satis unus eris.  
 7 At tu, pars animi nostri decus, addite Musis,  
 8 Perge tui fies gloria prima chori.  
 9 Tam facili texunt filo tua carmina Musae,  
 10 ut si spectet, opus Pallas amare queat,  
 11 tam fluit in tenero genialis gratia versu,  
 12 ut videre deum pastus ab uberibus.  
 13 Ridet et aptanti digitos ad plectra sequaces  
 14 accinit arguta blandus Apollo chely.  
 15 Albi iterum decus invideo tibi nominis hujus,  
 16 improbe perpetua nocte premendus eras.  
 17 At tu magne tui gavisus honore poetae,  
 18 Rhene coronata purior ibis aqua.  
 19 Acceptoque feres communia vota Mosellae,  
 20 illius illustris gloria Petrus erat.  
 21 Nec tam Neseni crudelia fata dolebis,  
 22 quam vives vatis laetus honore tui.  
 23 Reddidit ille tibi quod perfidus abstulit Albis,  
 24 abstulit hic animum reddidit ille tibi.  
 25 Ad te iterum redeo, Musis, operate Micylle,  
 26 nuper et in sacri parte recepte chori,  
 27 perge animo tali Musas relevare jacentes,  
 28 quae miserae casu quo cecidere vides.  
 29 Musica nam vulgus contemnit sacra profanum,  
 30 heu, proprii nimium nescia turba boni,  
 31 tu potes abjecti studium revocare laboris,  
 32 tu potes amissum restituere decus.  
 33 Hoc tua promittunt virtus et candor et aetas,  
 34 et pulchra spirans indole plena fides.  
 35 Me si fata volunt vestris accedere coeptis,  
 36 miles in has partes officiosus eo.  
 37 Vive, nec haerentes Christo obliviscere Musas  
 38 meque tuos inter quemlibet esse sine.

BONARUM ARTIUM STUDIO SIS OMNIBUS S.

S7\_28 v.1 Ut male delectant variis sine floribus horti  
 2 arboris ut non est unius umbra nemus,  
 3 ut numquam unisonae placuit symphonia vocis  
 4 una nec ut cultam messis opacat humum,  
 5 denique tam varia qua stat ratione vigetque  
 6 quicquid naturae summa parentis habet,  
 7 quis neget humanum, naturae ab imagine ductum  
 8 ingenium, varia condicione trahi ?  
 9 Et nunc sidereas arces transire supraque  
 10 moenia flammantis, scandere celsa poli,  
 11 nunc animo Stygiis innare paludibus, aut se  
 12 tollere momento per freta longa brevi.  
 13 Improba nunc avidi meditari commoda sceptri  
 14 per stata nunc regnum jura forense sequi,  
 15 denique non usquam ratione quiescere in una  
 16 non uno poterit se vegetare modo.  
 17 Cumque sit in cunctis dulcis variatio rebus  
 18 in studiis eadem dulcior esse solet.  
 19 Unum semper agens animus languescit, et haeret

20           in libertatem nata volubilitas ;  
 21       namque vides studio qui consenuere sub uno  
 22           ingenii senibus paene manere nihil.  
 23       Quare agite, o juvenes nati melioribus annis,  
 24           nobilis utimini viribus ingenii,  
 25       quandoquidem non sunt quas non haec tempora possint  
 26           praestare ingenii divitioris opes.  
 27       Quando utriusque redit linguae decus, et sua sacris  
 28           majestas studiis surgit et omnis honos.  
 29       Ne tibi sint contempti alii, qui sacra profanis  
 30           conciliant, quod ab his proxima ad ista via est.  
 31       Haec alias, nunc plura negat, nec plura ministrat  
 32           tempore praeventus noster Apollo brevi

## D. GEORGIO STURTIADAE

S7\_29   v.1       Si quae stabat heri tibi adhuc sententia constat  
           2           ut videamus opes quas tuus hortus habet  
           3       delicias horti placidas et verna petamus  
           4           gaudia, quae vitreo lambit Hiera vado  
           5       et licet exiguo spatium breve clausuris horto  
           6           Alcinoi debent vincere ruris opes  
           7       haec hortis meliora ferent Cynareide nati  
           8           Hesperidum dotes jam tua rura ferent ;  
           9       nec nos carminibus vincet qui jussit in hortis  
          10           Hellespontiaci scripta nefanda legi.  
          11       Ergo tuum venio Musis comitatus in hortum,  
          12           tu bibulis tantum dulcia vina para.  
          13       Quod te si Zephyris violentior aura moratur,  
          14           cras aliquis forsitan mollior Euris erit.

## CLARISSIMO VIRO D. JOANNI FICINO CANCELLARIO HESSIAE

S7\_30   v.1       Quamvis pluribus esse te gravatum  
           2           norim turbinibus negotiorum,  
           3       si, Ficine, tamen vacabit Hesso  
           4           momentum breve temporis pusilli  
           5       hoc Hesso precor ut tuo rogatus  
           6           impertire velis, tuique nolis  
           7           adventus mihi gratiam negare.  
           8       Nam quod veneris hoc heri sciebam  
           9           et tecum bonus ille noster, olim  
          10           in magnis 'alieus' peritus undis  
          11           auro, non modo piscium, repletis.  
          12       Sed fessos quia de via putabam  
          13           et jam tempora noctis appetebant,  
          14           quis me non merito improbum vocasset,  
          15           si vobis gravis esse tunc tulissem.  
          16       Nunc, Ficine, igitur decus tuorum  
          17           et gentis, patriaeque principisque,  
          18           da tempus breve, si vacabit, Hesso ;  
          19       quod si non vacat interim valebis  
          20           et nostri memor, hoc amanter ausum  
          21           recti, pectore consules amico.

## IN LIBELLUM D. JOANNIS DRACONITIS

S7\_31 v.1 Ultima quisquis habes morituri dogmata Christi  
 2 cognita, nec dubia concipis ista fide  
 3 haec lege, sed placido, nuper meditata Draconi  
 4 invidia si quis non remorante leges.  
 5 Hic siquidem Christi, vera pietate, fatemur  
 6 sanguinis et potum, corporis esse cibum.  
 7 I nunc livor edax, et si potes, argue falsi  
 8 Hessidos, ut nuper dogmata nata, scholae

## CASPARI RUDOLPHO SUO

S7\_32 v.1 Si te lauta juvant fatuorum balnea regum  
 2 post desumpta domi prandia, Caspar, ades  
 3 vellera nobiscum tingent nudata Capellae,  
 4 quamvis et fugiant et vereantur aquas.  
 5 Quod si tu venias nec tertius esse graveris  
 6 quam pulchre hic nobis ternio plenus erit ?  
 7 Si tamen et vestras non hic adducitis umbras,  
 8 tunc ego vos umbras non habuisse velim.

## NIGIDIO ET CAPELLAE SUIS.

S7\_33 v.1 Pulchris balnea lautiora Baiis  
 2 cunctis balnea puriora thermis,  
 3 Tuscis balnea saniora lymphis  
 4 in nostra modo regia parantur  
 5 pulchra, principe, dite, gloriosa :  
 6 ad quae vos ut adesse jam parata  
 7 mox post prandia sumpta, ne molestum  
 8 ducatis, rogat ille vester Hesus,  
 9 qui vos sic amat et colit, facitque  
 10 pluris Caesare, regibusque cunctis  
 11 quamvis rex sit et ipse vester Hesus  
 12 aeternum venerabiles amici,  
 13 o dulcis Nigidi Capella noster  
 14 huc post prandia sumpta mox adeste  
 15 umbris vos comitantibus pudicis.  
 16 Quae vos ni comitentur et sequantur,  
 17 non vos corpora sed feremus umbras  
 18 ad non ebria lutra balneorum,  
 19 sed plus sobria sobriis tabernis :  
 20 hic vos pisciculi manent lupique  
 21 et cancri fluviatiles. Valete

## IN ANNULUM DRYANDRI

S7\_34 v.1 Garrula stelliferum mirari desinat orbem  
 2 fama, Syracusium composuisse senem  
 3 Vulcani clypeos, terras, maria, astra ferentes  
 4 adserat, invenient forsitan et ista fidem  
 5 clausurit ingentem testa nucis alter Homerum  
 6 fine brevi totam pinxerit alter humum  
 7 qualis quemque sui commendet fama laboris.



8           Nos quoque ab hac aliquod nomen habere decet  
 9           nam quia multiplicis contracta volumina sphaerae  
 10          in tereti digito, docte Dryander, habes  
 11          qui non miretur, quem non juvet ista Mathesis  
 12          hunc ego, quo sapiat, pectus habere negem.

D. JACOBO A TAUBENHAIM

S7\_35 v.1       Cum tua non uno virtus praecone feratur  
 2           nobilis, o gentis laus, JACOBE, tuae.  
 3           Cum sit imaginibus domus incluta, cujus honori  
 4           natales debes, vir memorande, tuos.  
 5           Cum tibi sit felix facundae gratia linguae,  
 6           cum gravibus vincas Nestora consiliis,  
 7           hoc tamen ingenuas quod amas et respicis artes  
 8           te proavos merito collocat ante tuos.  
 9           Quod spectas quis honor, quae te post fata sequatur,  
 10          quae sit in aeternos fama, futura dies,  
 11          crede mihi, virtus haec est quae laude perenni  
 12          debeat et caelos et super astra vehi.  
 13          Ergo tot Aonidum cultores inter, et Hessum  
 14          praeconem laudis fer, precor, esse tuae.  
 15          Interea fidei signum breve carmen habeto,  
 16          dum tibi se totum nostra Thalia parat.

VIII

HELII EOBANI HESSI SILVARUM LIBER VIII.

PHILIPPO PRINCIPI.

S8\_1 v.1       Cum tua, dux patriae fortissime, floreat armis  
 2           parta tibi virtus, gloria, fama, decus,  
 3           cum reduci verae faveas pietatis honori  
 4           cum doctus foveas et tueare viros.  
 5           Cur non saepe tuas per nostra volumina laudes  
 6           aspicias, dignas hic et ubique legi ?  
 7           Cur tua non festo celebremus nomina plausu  
 8           qui Iano colimus moenia juncta tuo ?  
 9           Ipsae ego qui Martis cecini tua facta Suevi,  
 10          qui tibi Davidis scripta legenda dedi.  
 11          Qui per scripta tuas dixi pastoria laudes  
 12          per quae scripta tuus vivit uterque parens  
 13          cum legerem doctos, Corvini scripta, libellos  
 14          suaviter alterna condicione loqui  
 15          hos tibi deberi tota ratione ferebam  
 16          hos titulo dignos nominis esse tui,  
 17          quod nihil adserta nisi de pietate loquantur,  
 18          quod tantum fidei Christidos arma ferant.  
 19          Magnanimo dixi laus convenit ista Philippo

20           qua puto donari non potiore volet.  
 21       Huic age vocales, Corvine, inscribe libellos  
 22           ne dubita, inscriptos adseret ille sibi.  
 23       Paruit, et cupida mandatum mente peregit  
 24           hoc memor officium muneris esse sui.  
 25       Tu nunc, Hessiaci Rector generose Leonis,  
 26           accipe qua data sunt haec tibi scripta fide.  
 27       Quae si cuncta volens ut spes est certa, probaris,  
 28           per media haec sternes ad meliora viam.

JUSTINIANO AB HOLTZHAUSEN V. C. FRANCOFURTANO

S8\_2   v.1       Fortunae atque animi pulchris cum rebus abundes,  
           2           Justiniane, corporisque dotibus  
           3       quas in te natura parens non invida tales  
           4           benignitate liberali contulit  
           5       et cum divitias animi virtutibus aequas  
           6           respondeasque nomini tuo probe  
           7       hac mihi praecipue veniebas laude canendus  
           8           mirandus atque suspicandus unice  
           9       Musarum quia sacra colas non vana professos  
 10           bonos piosque litterarum praesides  
 11       me quoque quos inter longis complexus ab annis  
 12           dignaris exquisito honore prosequi.  
 13       Nomine quem tantum veteris dignaris amici  
 14           quantum per ista litteris paucissimi  
 15       tempora deplorata bonis, quo tempore talem  
 16           mihi experiri te profecto contigit.  
 17       Sicut ad Augustam nos Chalcida nuper agentes,  
 18           non abnuendis rebus experti sumus.  
 19       Quamvis saepe prius, sed tunc tamen omnia nobis  
 20           humanitatis explicasti munera.  
 21       Sicut et ille animi candore Georgius isto  
 22           dignus vocari Candidi cognomine,  
 23       nunc tuus Hesus adest ad amoeni moenia Moeni  
 24           visurus alti magna Rheni flumina.  
 25       Qua sacra nescio cui, stant moenia dicta Goaro,  
 26           plus sacra Baccho, plus ferenda vitibus.  
 27       Si tamen ille Goar quisquis fuit utile nobis,  
 28           frumenta munus atque vina conferat.  
 29       Bacchus erit Baccho dicemus festa Goaro,  
 30           quae sobrium docere possint carmina.  
 31       Quo tecum reduces de numine forte loquemur,  
 32           bonum ne nobis an malum exstiterit. Vale.

D. JOANNI ELERO JURECONSULTO.

S8\_3   v.1       Qui tibi Hiericola nuper consuevit ab urbe,  
           2           mittere non tristi carmina ducta manu.  
           3       Qui tibi Lanicola nuper quoque ab urbe salutem  
           4           misit, et imparibus verba soluta modis.  
           5       Haec tibi non parvi de litore mittit Hierae,  
           6           non etiam Lani de regione vagi.  
           7       Unde igitur quaeris ? Quae tu colis incluta Rheni  
           8           moenia, dant manibus quae legis ista suis.  
           9       Moenia quae magni radunt vada caerula Rheni,

10 grande Moguntiacae qua jacet urbis opus.  
 11 Numquid in hac Hessum jam sentis urbe morari,  
 12 in quam naviferis advena venit aquis ?  
 13 Venit et hic unum te, dulcis Elere, requirit,  
 14 nuper amicitiae gloria magna meae.  
 15 Venit in hanc Hessus tam nulli cognitus urbem,  
 16 quam tibi, nec cuiquam notior esse volet.  
 17 Qui cum jura pari divina humanaque tractes  
 18 arbitrio, ingenio, religione, fide :  
 19 non tamen aversus nostris es ab artibus hisce,  
 20 quae nihil artificii frugiferacis habent.  
 21 Otia quae tantum sectantur inertia, verum  
 22 quod petere hinc possis utilitatis habent.  
 23 Nomina nam famae praestare perennia possunt,  
 24 aurea quod numquam divitis aula Midae.  
 25 Hae tibi jamdudum nostrae tribuere Camenae,  
 26 haec tibi venturo tempore dona ferent.  
 27 Si qua tui te cura tenet nunc ergo poetae,  
 28 si quid adhuc Hessi vel memor esse potes,  
 29 fac hodie quacumque voles ratione, vel ad nos  
 30 huc venias, vel nos in tua regna voces.  
 31 Crastina nam proni lapsurum flumine Rheni,  
 32 me procul a vobis auferet hora. Vale.

PETRO GILTNERO CONTIONATORI FRANCOFURTANO SUO.

S8\_4 v.1 Cujus et unde legas missam, Giltneri, salutem,  
 2 si dubitas Hessum noris adesse tuum.  
 3 Hessus, arenosi linqens vada parvula Lani,  
 4 appulit ad Moeni flumina magna tui.  
 5 Nam tibi nunc Moenus pro dulci nuper Hiera,  
 6 navifero largas flumine fundit opes.  
 7 Me si forte voles, ut debes velle, videre  
 8 hoc hodie ut facias, optime Petre, licet.  
 9 Hic ubi pulchra situ fluvium sita propter amoenum  
 10 nobile de Francis moenia nomen habent.  
 11 Cras ubi purpureos Aurora revexerit ortus,  
 12 ad Rhenana levi moenia puppe ferar.

JOAN. STYGELLIO SUO.

S8\_5 v.1 Sic tibi Pieridum comes, indevicte Stygelli,  
 2 talis perpetuo tempore vena fluat.  
 3 Sic tibi sint faciles, ut sunt in carmina Musae,  
 4 sic tibi larga sitim Phocidos unda levet.  
 5 Ut tu nostra probas, ut nos miraris, et Hessum  
 6 esse aliquid, quamvis sit nihil ipse, putas.  
 7 Solus enim gelidam venienti Chalcida nuper  
 8 porrigis exhibita carmina blanda manu,  
 9 solus et exsulibus, ut sunt hoc tempore, Musis  
 10 visus es, officio quo potes, esse pius.  
 11 Primitiis applaudo tuis, grataeque Camenae,  
 12 quae tibi venturo tempore qualis erit ?  
 13 Quae cum jam multos aequet superetque poetas,  
 14 quid faciet si te longa senecta manet.  
 15 Vere tuo tali qui flores indole, quantos

16           autumno fructus adveniente dabis ?  
 17       Sed tamen haec alias, nunc scribere plura volentem  
 18           hinc alio versam traxit Apollo manum.

PRINCIPI PHILIPPO PRO DISCESSU A SMALA CHALCIDE.

S8\_6    v.1       Inclute Semideum de sanguine nate Philippe,  
           2           o princeps meritis non habiture parem,  
           3       si qua tuas de me famae pars venit ad aures,  
           4           si ex aliqua mereor parte placere tibi,  
           5       redde meis natum studiis me, redde quieti  
           6           hic nihil est tibi quod commoditatis agam,  
           7       multa domi possum, nihil hic praestare paratus,  
           8           et decus egregii nominis inde feres.  
           9       Haec me vera loqui tua sentiet incluta virtus,  
          10           post adeo paucos, magne Philippe, dies.

JACOBO MILICHIO SUO.

S8\_7    v.1       I, mea Milichio, fer epistola fida salutem,  
           2           quam vellem manibus tradere posse meis.  
           3       Pectore tanta meo cura est absentis amici,  
           4           quantam aliquem veterum vix habuisse puto.  
           5       Quod si monticulam venisses Chalcida, vellem  
           6           hic quoque cessantes non habuisse manus.  
           7       Hic, Jacobe, tuos licuisset cernere vultus,  
           8           quos nunc est animi tantus abesse dolor.  
           9       Ipse quoque hic dulces potuisses cernere amicos,  
          10           quos tot in hoc coetu Chalcis amoena videt.  
          11       Ut magni taceam tibi nomina nota Lutheri,  
          12           sim velut oblitus, docte Philippe, tui.  
          13       Mille alios poteris hic convenisse sodales,  
          14           quorum nil quod te paenituisset erat.  
          15       Quos inter tibi praecipuo devinctus amore,  
          16           prima Draconites nomina laudis habet.  
          17       Is tibi me multam jussit mandare salutem,  
          18           quo rogat ut nolis immemor esse sui.  
          19       Ut nostri meminisse velis, Jacobe, rogamus,  
          20           vellicet hic aures littera nostra tuas.  
          21       Vive diu, nobisque olim rescribe, tuosque  
          22           nos quoque cum multis, si potes esse sine.

BALTASSARI REUTO ECCLESIASTAE HERESFELDIANO.

S8\_8    v.1       Docte salutiferi mysteria promere verbi,  
           2           et veram populis insinuare fidem,  
           3       huc iterum Hercyniae redii de Chalcide silvae,  
           4           qua modo Germano est majus in orbe nihil.  
           5       Tot modo principibus, tot facta est incluta doctis,  
           6           invideo hanc laudem Chalcis amoena tibi.  
           7       Si paucas poteris furtivi temporis horas,  
           8           sublegere huc ad nos, Reute diserte, veni.  
           9       Et si quos habeas tecum qui nomina norint  
          10           nostra, nec a Muis corda aliena gerant.  
          11       Duc simul, ut cenes mecum quia crastinus Hessum

12 auferet a vobis hac et ab urbe dies.

D. JACOBO SALVECHTERO JURECONSULTO.

S8\_9 v.1 Dulcis et ante alios, Jacobe, fidelis amicos,  
 2 nunc etiam Musis saepe canende meis.  
 3 Nactus ab exhaustis gravioribus otia curis  
 4 nunc age, Corvino te comitante, veni.  
 5 Munus ab illustri missum cratera Philippo,  
 6 non semel Hessiaca religione bibes.  
 7 Quod si forte alias tecum quoque duxeris umbras,  
 8 umbras non homines, si libet, esse puta.  
 9 Nam quod edas nihil invenies, sed pocula tantum  
 10 multa Cybelaeo sanguine plena bibes.  
 11 Atque ea non gratis, quia, quamvis regia dives,  
 12 pauperibus Musis nostra sit, aere vacat.  
 13 Quare age pelle graves hilari de pectore curas,  
 14 dum licet, et celeri nos pede laetus adi.

EIDEM.

S8\_10 v.1 Mox ubi jam decimae confinia deseret umbrae  
 2 index, et medium fecerit hora diem.  
 3 Ipse tuas veniam conviva injussus ad aedes,  
 4 jam meditare epulas quas, JACOBE, pares.  
 5 Non decet auritos ad vilia prandia reges  
 6 accipere, et brevibus sumere vina cyphis,  
 7 dum sua funebres crocitant ad pocula Corvi,  
 8 prandia multiveris regibus ista placent.  
 9 Quare age dic raucis ut agant sua munera corvis  
 10 aut abeant fratres protinus 'eis korakas'.

CASPARI SUO RUDOLPHO

S8\_11 v.1 Auritum leporem venatus in Hesside silva  
 2 quae spectat patriae proxima rura meae.  
 3 Te rogo si tenuis non spernis vilia cenae  
 4 fercula, ne nobis esse gravere comes.  
 5 Nos Cererem tu vina bibes poscamque rubentem,  
 6 quam crudis acinis, arbuta mixta coquunt.  
 7 Me mala, rumpentis praecordia, poena catarrhi  
 8 infestum, et longo tempore tussis habet.  
 9 Flumina flegmatici despumant guttura puris,  
 10 esse queat febris nulla molesta magis.  
 11 Quamquam vix aliqua est sine febre molestia talis,  
 12 monstrant vicinam tabida signa 'phtisin' :  
 13 non igitur metues magnos crateras ab Hesso,  
 14 qui velit hoc nolit tempore pauca bibit.  
 15 Quare pars animae, Caspar carissime, nostrae,  
 16 te manet ad quartam cena parata mihi.  
 17 Duc tecum thalami sociam, nam forte Capella  
 18 hospes cum cara conjuge noster erit.  
 19 Quod si frons Nigidi non sit nimis obsita rugis,  
 20 finem 'sundeipnois' tertius ille dabit.

## JUSTO STUDAEO L.L. DOCTORI DESIGNATO.

S8\_12 v.1 Festa tui celebrans cognominis otia Divi,  
 2 justa litaturis pocula juste para.  
 3 Nullos caede boves, nullam conquire ferinam,  
 4 panem et caseolos est posuisse satis.  
 5 Nulla gula est nobis quae fercula multa requirat  
 6 nostra sitis, cruciat pectora, nulla fames.  
 7 Plenas ergo deo lagonas pone bimatri,  
 8 hoc satis est, Baccho turba dicata sumus.  
 9 Oenophoros non Sitophoros fac stare ministros,  
 10 largaque convivis fundere vina tuis.  
 11 Sic sacra nos isti celebrabimus ebria divo,  
 12 sive voles justo, sive sagittifero.  
 13 Tu modo juste hodie justissima jura relinquant,  
 14 nec sis juridicos garrulus ante patres.  
 15 Longe alia est ratio divos celebrare jocosos,  
 16 quam tristem et vacuum sobria jura sequi.

## JOANNI ALGESINO GRONINGO SUO etc.

S8\_13 v.1 Crastina Phoebeos ubi tertia contrahet orbes,  
 2 jamque senescentem provehet hora diem.  
 3 Care, veni nostras, Groninge, rogatus in aedes  
 4 quo peream si quid dulcius esse potest.  
 5 Te mea non formosa quidem nec amabilis uxor,  
 6 Penia, convivam, sed generosa rogat.  
 7 Ne contemne preces dominae tam justa rogantis,  
 8 o utinam famulae sit magis illa loco.  
 9 Illa tibi calido gelidos pro sumine ponet,  
 10 Sed tamen et castos et sine felle sales.  
 11 Implebunt vacuas vocalia carmina lances,  
 12 fallet inexemptam stridula chorda famem.  
 13 Lauta ministrabunt praesentes fercula Musae  
 14 qualia cum superis Juppiter esse volet.  
 15 Fundet odoriferos genialis gratia flores,  
 16 plena ministrabit pocula castus amor.  
 17 Talia si possis convivium spernere dicam  
 18 laetitiae veram non habuisse famem  
 19 quod si vera voles, ut debes velle, fateri  
 20 ex istis dapibus vita beata venit.  
 21 Ingenium vis multa cibi suffocat et aufert  
 22 appositam mortem luxuria omnis habet :  
 23 quare age ne modicae spernas elementa culinae  
 24 saepe etiam Divos viscera tosta juvant.  
 25 Ipse quidem melius cenasse fatebere numquam  
 26 si non sorduerint prandia nostra tibi.  
 27 Ventriculum referes validi vectoris egentem  
 28 versibus et verbis si potes esse satur

## MATHEAE CAPELLAE SUO.

S8\_14 v.1 Si non displicet et potes venire  
 2 ad nos, huc venies, Capella noster,  
 3 nostra ad balnea tertiam sub horam.

4 Quod si veneris ante, nil molesti  
 5 nobis feceris, at simul memento  
 6 tecum ducere, et increpare Petrum,  
 7 quod nec sponte sua venire pergat  
 8 nec regi cito pareat vocanti.  
 9 Vobis cenula perbrevis paratur  
 10 sed quae sufficiat tribus poetis ;  
 1 Carmina non subeunt, nec pessimus ille Phalecus  
 2 spirat, quod nondum dulcia vina bibit

## JOANNI GRONINGO ET OCTACILIO SUIS.

S8\_15 v.1 Omnibus unanimes nobiscum in rebus, amici  
 2 o duo, fortunae pectora fida meae  
 3 corpora loturi socio cum Rege venite  
 4 tertia cum lentum deprimet hora diem.  
 5 Ipsa parat, calidumque implet regina lavacrum  
 6 o adeunda ipsis balnea paene Deis.  
 7 Aurea sudabunt tepidum praefurnia Nectar,  
 8 udus Acidalias fundet alypta Rosas.  
 9 Cura erit ut plenis stent Baptisteria labris  
 10 in quibus abjecta veste natate queas.  
 11 Talia praestabunt Regales balnea thermae  
 12 omne genus luxus Regia dives habet.  
 13 Quos placet interea vobiscum ducite amicos  
 14 vobiscum veniat quaelibet umbra licet.

## JOANNI FRANCO PORTUNO SUO

S8\_16 v.1 Quae nobis placidae posuisti fercula mensae  
 2 grata sodalicio, Jane, fuere tuo.  
 3 Namque ut Pegaseas qui desudamus ad undas  
 4 libera, at innocuo pectore turba sumus.  
 5 Sic ea lauta quidem sed iniqui nescia luxus  
 6 instar et ingenii candidioris erant,  
 7 tam decet ingenuos frugalis cena Poetas  
 8 cui neque quod desit, nec quod abundet erit.  
 9 Qua Charites epulas miscent, et pocula Musae  
 10 et variant doctis mutua verba jocos  
 11 quaque fides aliquis bene tangere doctus Iopas  
 12 mulceat arguta pectora laeta chely.  
 13 Haec mihi vita placet, quae si cui displicet, illum  
 14 vix aliquid sanae mentis habere putem.  
 15 Has tibi concilias Musas, Portune, per artes  
 16 quas sibi tam pauci conciliare student  
 17 Talia, dii faxint, possim convivia tecum  
 18 saepius apposito concelebrare mero

## JOANNI GRONINGO SUO

S8\_17 v.1 Nuntiat e Francis te fama peregre reversum,  
 2 fama mihi certa visa carere fide.  
 3 Nam nisi te videam, quamvis rediisse loquatur  
 4 ipsa fides, fidei credere nolle libet.  
 5 Ut lateas an forte redis ? An fallis amicum

6 et crucias lenta pectora nostra mora ?  
 7 Sic poteras absens etiam rediisse videri,  
 8 tu licet et fuscus incoleres Arabas.  
 9 Non fuit Arctoo magis hoc latuisse sub axe  
 10 frigida qua lentus plaustra bubulcus agit  
 11 sic poteras ultra extremos Garamantas et Indos  
 12 nobiscum nihilo vivere et esse minus.  
 13 Perfide, an hoc debes tam fido reddere amico ?  
 14 Officium non hoc debuit esse tuum.  
 15 Non sat erat nuper furtivo abiisse recessu  
 16 ni mihi sic redeas ut rediisse negem.

## JOANNI ALGESINO GRONINGENSI.

S8\_18 v.1 Cum sis moribus elegans, et omni  
 2 purus crimine quod queat videri  
 3 veram dedecuisse castitatem  
 4 ut Phaedrae superare te loquatur  
 5 privignum vaga fama, sed bilinguis.  
 6 Dic quaeso mihi, dulcis Algesine,  
 7 per Musas rogo dic, quid esse dicam  
 8 quid causaeve subesse suspicemur  
 9 quaesitus totiens quod inveniri  
 10 aut non vis (...), non potes. Quid ergo est (vers lacuneux)  
 11 causae ? Scilicet hoc, quod urbe tota  
 12 erras, curris, obambulas, vagaris,  
 13 notus per plateas et angiportus  
 14 omnes, per fora, templa, tecta, vicos  
 15 formarum catus elegantiarum  
 16 spectator, sed et impudens adulter  
 17 matronarum, agitator, et puellarum  
 18 assectator, amator, et probator  
 19 quorum si male nominum pudet te  
 20 vel consiste domi, vel inveniri  
 21 nobis incipe, perge, et adsuesce,  
 22 aut haec dilue dicta, vel fatere.

## SUPER INSIGNIBUS CLARISSIMI HIERONYMI BAUMGARTNERI V. C. NORICI.

S8\_19 v.1 Candidus et docilis quod sis, Hieronyme, monstrant  
 2 et flos et volucris signa paterna tibi.  
 3 Nam flores alios candore ut lilia vincunt  
 4 est alias docilis psittacus inter aves

## DE EISDEM.

S8\_20 v.1 Quam bene conveniunt viridis color, et color albus  
 2 hic lilii, virentis ille Psittaci.  
 3 Candor inest animo, docilis viret ingenii vis  
 4 tam pascit hic animum color quam lumina.  
 5 Quae quia signa tenes, Hieronyme, gentis avitae  
 6 non denigras tuum sed illustras genus.



## ALIUD

S8\_21 v.1 Insidens albo volucris viridissima flori,  
2 Baumgartnere, tui 'sumbolon' est animi

## ALIUD

S8\_22 v.1 Flos, avis, haec docilis, candore illa omnia vincens  
2 te studio atque animo vincere cuncta docent

## ALIUD

S8\_23 v.1 Psitacon et florem tibi, Baumgartnere, parentes  
2 tam puto non ipsi quam tribuere Dei

## ALIUD

S8\_24 v.1 Alba, loquax volucris, calcat pede lilia utroque  
2 ad Musas propius quid precor ire queat ?  
3 Candida Musarum sunt pectora, garrula vox est,  
4 Baumgartnere, tibi Phoebus utrumque dedit.

## ALIUD

S8\_25 v.1 In viridem flori sidentem psitacon albo  
2 Baumgartneriadum signa paterna vides.

## ALIUD

S8\_26 v.1 Candida libertas et liber ad omnia candor,  
2 quod tibi sint monstrant 'leirion' et volucris.

## SUMMO VIRO D. JOANNI DANTISCO EPISCOPO CULMENSIS. ETC.

S8\_27 v.1 Venimus emensi tot milia quot Jovis uxor  
2 Hippotadae nymphas dixerat esse sibi,  
3 quot geminata forent septemplex ostia Nili,  
4 quot Niobe natos interiisse ferunt,  
5 quot patrio vidit de flumine surgere tauros  
6 per quem pressa fame terra redempta fuit,  
7 quot Musae Charitesque et junctus Apollo Dianae,  
8 quot geminata forent sidera Pleiadum.  
9 Denique syllabicos quot habent tua nomina tractus  
10 tu modo de multis quattuor esse voles  
11 Musarum decus eximium, Dantisce, nec ulli  
12 Pontificis veri nomine posterior.  
13 Venimus emensi tot milia, venimus autem  
14 corpora non una condicione duo,  
15 venimus ut plures maneat campensis in annos,  
16 venimus ut paucos hic morer ipse dies.  
17 Namque ut condicio est Campensi libera sic me  
18 carcere perpetuo vita ligata tenet :

19 utque illi licitum est quoquo libet ire, vagari  
 20 sic mihi nequaquam quolibet ire licet,  
 21 nam mihi si liceat quo nunc libet ire, quid usquam est  
 22 quo tua non libeat dulcia jussa sequi ?  
 23 Ultra Sauromatas, ultra Tanaeia regna  
 24 te sequar, et Scythico rura perusta gelu,  
 25 te, per Hyperboreo torpentes frigore campos,  
 26 te sequar Arctoi sub duo monstra poli,  
 27 non me tristis hiems, non me remorabitur aestus  
 28 quam libet immodico Sirius igne micet.  
 29 Heu mala fatorum series, heu tristia vitae  
 30 sidera, et hic votis invida nata meis,  
 31 si tamen his ulla possim ratione mederi.  
 32 Non dubitem quo me sors vocet ulla sequi  
 33 cultos ante mihi repetam tua regna Borussos  
 34 et loca quae propior Parrhasis ursa videt.  
 35 Nunc quia non licitum est quod quondam, forte licebit,  
 36 Fortunae medicus spes bona noster erit,  
 37 et tibi sancta fides pro me spondebit et ille  
 38 quem socium certe pectoris hujus habes,  
 39 quem quia conveniens ratio mihi fecit amicum  
 40 isthoc invideo nomine paene tibi.  
 41 Sarmaticas igitur sine me venietis ad oras  
 42 quo mihi non utinam fata venire negent.  
 43 Non tamen idcirco sine me vivetis amici  
 44 vobiscumque aliqua parte ego semper ero.  
 45 Nunc age pontificum decus Aonidumque sororum,  
 46 nunc age me domui quaeso remitte meae.  
 47 Interea nostri non obliviscere amoris  
 48 quo mihi non falso junctus es, ipse tibi  
 49 utque tibi hoc gratum me nomine sentiat orbis  
 50 ipse satis de me pignora clara dabo.

REVERENDISSIMO D. JOANNI DANTISCO EPISCOPO CULMENSIS.

S8\_28 v.1 Dicebas, Dantisce, suo cum Cynthia cornu  
 2 plena refulgebit, tempus abire tibi est.  
 3 Plena refulserunt fugientis cornua Lunae,  
 4 nec tamen est abitus causa peracta mei.  
 5 Cur ita ? Perpetuo quia tecum vivere vellem,  
 6 quo sine perpetua est vivere poena mihi.  
 7 Nunc quia me revocant curae quibus obligor, et sunt  
 8 tempora fortunae non satis aequa meae.  
 9 Te precor, o nostrae decus immortale Camenae,  
 10 hic abitus tandem sit tibi cura mei.  
 11 Non me cura domus non conjugis ulla fatigat,  
 12 sed mihi commissae publica causa scholae.  
 13 Adde quod huc veni minima quoque parte paratus  
 14 ut qui crediderim posse redire brevi.  
 15 Nunc tua me pietas, nunc me tua libera virtus,  
 16 nunc tua me vere gratia vera tenet.  
 17 Ergo boni facias animum majora volentem,  
 18 et vix officium hoc temporis hujus erat.  
 19 Vive igitur, Dantisce, tui non immemor Hessi,  
 20 cujus in hoc fidei carmina pignus habes.

## CLARISSIMO VIRO D. DANIELI STIBARO.

S8\_29 v.1 Ergone cenatum tu me, Daniele, vocaras,  
 2 ut fugeres vel si te pudet, ista nega.  
 3 Non potes, ergo istuc factum fateare necesse est,  
 4 qua mea nunc igitur carmina fronte legis ?  
 5 Quae tamen haec novitas, vel quis modus, an quis hic est mos  
 6 quem sic invitas qua ratione fugis ?

## IN ICONA CLARISSIMI JURECONSULTI HENNINGI GOEDAE.

S8\_30 v.1 Qui legis haec, et in hac defigis imagine vultus  
 2 quaeris quem referat picta tabella virum ?  
 3 Talis erat seris Henningus Goedus in annis.  
 4 Vix tribus addiderat ter tria lustra senex.  
 5 Eloquio veterum nulli florente secundus,  
 6 maximus ingenio, maximus arte fuit.  
 7 Praecipue duplicis super illo tempore juris,  
 8 illo nemo prior cognitione fuit.  
 9 Principibus quoque carus erat, quos saepe tuendo  
 10 ipse sibi magnas accumulavit opes.  
 11 Non tamen est pulchre partis sibi rebus abusus,  
 12 multa dedit templis munera multa scholis ;  
 13 praecipue huic ex qua ad tantos emersit honores  
 14 cujus et ipse suo tempore fama fuit.  
 15 Illius effigiem Lucae manus aemula pinxit,  
 16 pictam fautores hoc posuere loco.  
 17 Exemplo ut moniti tales imitentur honores,  
 18 quicumque ista legunt, oraque picta vident.  
 19 Saxonis ora viro natales protulit ortus,  
 20 inclusum tumulo Saxonis ora tenet.  
 21 Exuit alta senex longaevae tempora vitae,  
 22 caelo animam moriens ossa remisit humo.

## MONS ANNAE

S8\_31 v.1 Horrida retrogradi fervebant brachia Cancri  
 2 nec procul ignivomi stella Leonis erat,  
 3 linquebam veteris celebratum flumen Hierae  
 4 maxima qua laetus moenia spectat ager.  
 5 Docte tuum comitatus iter, sic ipse jubebas,  
 6 Georgi, Sturtiadum gloria summa domus.  
 7 Nubiferos montes aequataque culmina caelo,  
 8 transieram celeri non bene vectus equo.  
 9 Per juga, per scopulos, per saxa, per avia, silvas  
 10 nil nisi nos pennas non habuisse dolet.  
 11 Jamque ter emensi sex milia venimus urbem,  
 12 cui pia dimidium nominis Anna dedit.  
 13 Est locus arenti circumsitus undique saxo,  
 14 arduus ascensu, difficilisque situ.  
 15 Terrigenis passim regio fecunda metallis,  
 16 hunc beat argenti plurima vena locum.  
 17 Hic ego dum stupeo pulcherrima moenia, nondum  
 18 visa satis, nova sint, anne vetusta rogo.  
 19 Tum mihi : "Sturtiades nova sunt quae moenia cernis  
 20 atque adeo vitae tempore nata meae."

21 Hic ego : "Dic tantum quis tam cito condidit urbem ?  
 22 Quis deus hanc molem montibus imposuit ?  
 23 Nunc ego crediderim magnorum facta Gigantum,  
 24 non vanis aliquam rebus habere fidem."  
 25 Tunc ille : "Hanc hominum non tam quis condidit urbem  
 26 quam sese manibus condidit ipsa suis."  
 27 Haec quoque miranti sic reddidit ille : "Quid haeres ?  
 28 Non est hic aliqua fabula cassa fide.  
 29 Cernis ut hi circum, fumantia culmina montes,  
 30 egesta totiens evacuentur humo ?  
 31 Omnia sunt gravibus subtus loca plena metallis,  
 32 divitis hic Pluti dixeris esse domum.  
 33 Ex his divitiis haec urbs est condita, natam  
 34 si tamen hanc libeat dicere, jure licet."  
 35 "Haec, inquam, fateor, quamvis sunt maxima verum  
 36 quis tantas terrae prodidit auctor opes ?"  
 37 Ille iterum : "Nec plura loquar, nec temporis hujus  
 38 fert ratio verbis omnia posse sequi.  
 39 Haec loca quae magno nunc aspicias aemula caelo,  
 40 non aliqua nuper culta fuere manu.  
 41 Hic stetit Hercyniae pars longe maxima silvae  
 42 lustra vagatrices hic habuere ferae.  
 43 Saepe per has rupes praedas venator agebat,  
 44 silvicolasque alces, silvicolasque boves.  
 45 Donec in haec casu perventum est commoda rerum  
 46 qui fuerit casus, dicere longa mora est.  
 47 Et tibi cum melius nobis utrisque vacabit,  
 48 haec si forte voles scribere, plura loquar.  
 49 Tu nunc aeriferas Joachimica moenia valles,  
 50 ditiaque haud longe dissita saxa petes.  
 51 Et mihi dilectos venerabere solus amicos,  
 52 quandoquidem tecum non libet ire mihi."  
 53 Talia Sturtiades et adhuc his plura ferebat,  
 54 ipse tuli tacito talia verba sinu.  
 55 Salve urbs eximiae cognomine nobilis Annae,  
 56 montibus his salve non habiture parem.  
 57 Atque ita digressus Joachimica regna petebam.  
 58 Dii faciant fato non renuente petam.

VALLIS JOACHIMICA.

S8\_32 v.1 Ante oculis non visa meis salve incluta vallis,  
 2 quae patris a Mariae nomine nomen habes.  
 3 Salve iterum totum fama vulgata per orbem  
 4 quae gremio largas ubere fundis opes.  
 5 Saepe salutatam cupii te, saepe volebam  
 6 munera fortunae tanta videre tuae.  
 7 Tunc etiam cum me Pegnesidos ora foveret  
 8 urbis, eram famae laetus honore tuae.  
 9 Nunc mihi te propter Thuringi ab litore Hierae  
 10 trita bis undenis milibus ista via est.  
 11 Quos tamen hic venerer genios, quae numina, certum est  
 12 plenum propitii numinis esse locum.  
 13 Frivola mentita est locupletem fabula Plutum,  
 14 multa beatrix munera ferre manu.  
 15 Desinite, o miseri, caeco dare numina divo,  
 16 cuncta videns oculis, haec loca numen habet.

17 Vallibus o salve felicior omnibus, illo  
 18 quem colis, et fasso fortiter ore doces.  
 19 Sic age perge alacris, Christo duce, perge fateri,  
 20 qua sine non alia est, quae sit habenda fides.  
 21 Has utinam grates potuissem montibus Annae  
 22 dicere, laus illis plena futura fuit.  
 23 Me quoque fer grata tibi carmina voce canentem,  
 24 vallibus Idaeis vallis amabilior.  
 25 Et si scripta ferant alii meliora poetae,  
 26 nec tantum sudet Pieris una tibi.  
 27 Me tamen haec humili fer ludicra dicere versu,  
 28 quae cecini vero laudis amore tuae.  
 29 Sic tibi larga fluat melioris vena metalli,  
 30 sic opibus caedant Lydia regna tuis.

## IX

## HELII EOBANI HESSI SILVARUM LIBER NONUS.

REVERENDO PRINCIPI D. JOANNI DANTISCO A CURIIS EPISCOPO CULMENSIS.

S9\_1 v.1 Quam mihi misisti plenam, Dantisce, favoris,  
 2 reddita Campensi littera teste fuit.  
 3 Tempus erat Tartesiacas jam Phoebus in undas  
 4 stabat anhelanti praecipitandus equo,  
 5 parca sedebamus non magnae ad fercula cenae,  
 6 cum tua sunt manibus tradita scripta meis.  
 7 Protinus appositae contempsimus omnia mensae,  
 8 legimus et digitis verba notata tuis.  
 9 Nec legisse semel fuerat satis, inter edendum  
 10 lecta quater nobis litera tota fuit.  
 11 Inde animis laeti, et tamquam votiva ferentes,  
 12 sumpsimus audaci pocula plena manu.  
 13 Proque tua sacrum Baccho, Dantisce, salute  
 14 fecimus, et Charitum Pieridumque choro.  
 15 Scilicet incolumem non te laetemur amici  
 16 venisse ad rapidi litora Danubii ?  
 17 Et quia te scribis regis pietate Poloni,  
 18 visurum patriae regna beata tuae.  
 19 Hanc quoque gratamur sortem tibi, sed tamen illic  
 20 nonnihil adversi quod quereremur erat.  
 21 Sicut enim gratum est patrios te invisere fines.  
 22 A nobis sic te tam procul ire dolet.  
 23 Ibis ad aequoreos sine me, Dantisce, Borussos ?  
 24 Heu oculis iterum quando vidende meis ?  
 25 Ibis ad Arctoas Germani litoris oras,  
 26 qua tibi sunt patriae subdita regna tuae,

27 illic ut fueris propria jam sede receptus,  
 28 dic age qui poteris non meminisse mei ?  
 29 An poteris cari fieri precor immemor Hessi,  
 30 qui te tam vere nec simulanter amat ?  
 31 Non puto, nam duri nec te genuere parentes,  
 32 nec stupidum tardo frigore pectus habes.  
 33 Quin potius cum sis mira pietate fideque  
 34 praeditus, et tanto dignus honore coli  
 35 cum tua fortunae virtus respondeat isti,  
 36 quae tibi divitias ingeniumque dedit.  
 37 Cum tibi subjecto populo potieris, et arces  
 38 altaque tranquilla moenia pace reges.  
 39 Saepe meo dices quae nam fortuna poetae,  
 40 lubrica deducat tempora, scire velim,  
 41 saepe meum dices seu nunc pia fata poetam,  
 42 numina seu videant impia, scire velim  
 43 atque ea cum volves animo, graphiaria posces,  
 44 et scribes animi nuntia verba tui.  
 45 Namque nec Aethiopas ultra transibis et Indos,  
 46 et nec Hyperboreo regna perusta gelu.  
 47 Communis mecum sub eodem sidere caeli,  
 48 milia sed tantum pauca remotus eris.  
 49 Unde aliquam possis transmittere saepe salutem,  
 50 unde queas Hesso scribere saepe tuo.  
 51 Quo queat et mitti nostrae tibi littera dextrae,  
 52 littera non aliqua lassa futura via.  
 53 Nam quae nunc reliquos aderit mihi Musa per annos  
 54 quanta futura mihi est tanta futura tua est :  
 55 hoc tibi Maeonio dici dignissime versu,  
 56 voce Sybillina certius esse puta.  
 57 Accipe nunc tibi devotum, Dantisce, poetam,  
 58 exhibitas vates accipe vatis opes.  
 59 Quas quia non alias habeo, quae mittere possum,  
 60 munera, non animo despiciente ferēs.  
 61 Hoc tuus ille animi candor promittit, et ille  
 62 qui mihi de tali pectore spirat amor.  
 63 Vive diu, victure, meis, Dantisce, Camenis,  
 64 vive brevi versus subsequar ipse meos.

AD CLARIS. VIRUM D. HIERONYMUM EBNERUM URBIS NORICAE AERARIO PRAEFECTUM.

S9\_2 v.1 Quod totiens te nostra, vir ornatissime, turbat  
 2 littera, non vicio, sed ratione facit.  
 3 Nam mea Musa tuae pietatis imagine fidens  
 4 non timet in vultus saepe venire tuos  
 5 unice contemptis patrone, Hieronyme, Musis  
 6 tempore quo vanum nil nisi nomen habent.  
 7 Accipe nunc etiam non vultu, Ebnere, maligno  
 8 in patriae laudes carmina facta tuae,  
 9 et si forte sinunt quae tanta negotia tractas  
 10 hoc versus oculo vel properante vide.  
 11 Forsitan invenies quod te oblectabit in illis  
 12 et placida totum mente probabis opus  
 13 et sat erit missi partem legisse libelli.  
 14 Qui satis ex primo lemmate notus erit  
 15 munera, de nobis meritae bene, fecimus urbi  
 16 quae nequeant ulla munera clade mori,

17 nam quia vos vestram Musas duxistis in urbem  
 18 se vobis gratas exhibuisse decet.  
 19 Vos quoque tam gratas non deseruisse decebit  
 20 ne vitio pereat gloria prima novo.  
 21 Quantula nam res est unum fotum esse poetam  
 22 a populo rerum divite mille modis ?  
 23 Quod te, per superos, per et omnia numina, testor  
 24 carmina ne dura rejice nostra manu.  
 25 Tempus erit cum tu laudabere nominis hujus  
 26 famaue venturae posteritatis eris.  
 27 Atque aliquis spectans Ebnerum in carmine nostro  
 28 dicet : "Et hac dignus laude vir iste fuit."  
 29 Quare age, vir nostro fama dignissime saeclo,  
 30 adsere sincera munera nostra fide.

D. CHRISTOPHORO COLERO V. C. NORICO.

S9\_3 v.1 Non te digna quidem, sed qualia munera possum  
 2 mittere, quaeso hilari fronte, Colere, feras.  
 3 Qui cum sis merito sacri pars magna Senatus  
 4 et doctis faveas doctus et ipse viris  
 5 non metus est ne despicias haec vilia, neve  
 6 displiceant animo carmina nostra tuo.  
 7 Quamquam autem exsulibus nulla est hoc tempore Musis  
 8 gratia, conveniens non ea causa tibi est  
 9 te studiis Musae puerum fovere benignae.  
 10 Te tulit in molli gratia blanda sinu  
 11 nimirum quia nostra probas tua sacra retractas  
 12 et studia haec dextro nostra favore juvas.  
 13 Macte vir ingenio, atque animo dignissime tali  
 14 debetur meritis gloria vera tuis  
 15 et nisi vana animum veri delusit imago  
 16 incluta per Musas fama parata tibi est.  
 17 Nam cum tot superent nostrae praeconia Musae,  
 18 quae cecinere bonos, quae cecinere malos,  
 19 cur mihi non aliqua virtus tua laude feratur ?  
 20 Mendacem virtus non habitura notam.  
 21 Nunc lege tristantis funebria carmina Musae  
 22 tristia nunc, alio tempore laeta leges  
 23 cum tamen haec inter Bilibaldi occurret imago  
 24 et pia Nucelii fata, probabis opus.

MICHAELI ROTINGO AMICO CARISSIMO SUO.

S9\_4 v.1 Cum me tot meritis cogar debere fateri  
 2 praeter amicitiae nomina sancta, tibi  
 3 pectoris ingrati merita sim labe notandum,  
 4 arguar, et nullam dicar habere fidem  
 5 si tua sit nostris non indita fama libellis,  
 6 si potero officii non memor esse tui,  
 7 praecipue cum tu cupias e carmine nostro  
 8 victurum aeternos nomen habere dies.  
 9 Ingenui est animi specimen, Rotinge, modesta  
 10 ambitione, istas quaerere laudis opes  
 11 vera quidem virtus, nec adultera, talia quaerit  
 12 praemia, quae sancti nominis instar habet.

13 Quae, nisi divina, nulla ratione parantur,  
 14 hei mihi, quam multos iste fefellit amor  
 15 quae quia divina tibi tu ratione parasti  
 16 non aliqua falli condicione potes  
 17 quo minus ad verae meritum virtutis honorem  
 18 te tua quam minimo vita labore levet.  
 19 Alta petant alii spumantibus aequora remis  
 20 opposito quaerant subdita regna polo,  
 21 divitias cumulent, celebrent fora, jurgia tractent,  
 22 scepra ferant, condant oppida, bella gerant.  
 23 Tu tibi tranquillae quae deligis otia vitae  
 24 prosequere, haec pars est debita sorte tibi :  
 25 namque nec ingenium facilis natura negavit,  
 26 nec tibi sors etiam tota maligna fuit.  
 27 Felix quem fortuna bonis mediocribus auxit  
 28 quodque dedit proprium perpetuumque dedit.  
 29 Hic neque magnorum miretur inania regum  
 30 nomina, nec tumidi splendida jura fori,  
 31 cui sit honesta domi nec prodiga sumptibus uxor  
 32 quae coquat ad tenuem prandia parca focum.  
 33 Ille nec immodico spectet convivia luxu  
 34 fercula nec multo pulverulenta croco,  
 35 ille nihil Siculas, mensarum crimina, cenas  
 36 nec maneat famula mixta Falerna manu.  
 37 Sed si sorte sua vivet contentus, habebit  
 38 commoda, quae regum nullius arca dabit.  
 39 Liber enim vivet, metuet nihil, omnia ducet  
 40 frivola, quae vulgi pectora vana stupent.  
 41 Quae, Rotinge, dei postquam tibi munere vita  
 42 contigit, hac felix parte manere potes  
 43 rebus in humanis quantum licet esse beato  
 44 parta tuis studiis vita beata tibi est :  
 45 quae precor ut tranquilla tibi et diuturna supersit  
 46 ut sibi concessam sera relinquat humum.

AD JOACHIMUM CAMERARIUM SUUM.

S9\_5 v.1 Saturnalitiis quid agam, Joachime, diebus  
 2 te vere digna simplicitate rogas.  
 3 Dum totis plebeia sonant spectacula theatris,  
 4 dum tota Bromius regnat in urbe pater,  
 5 mutua dum celebrant laeti convivia amici,  
 6 dum minimum tota quisquis in urbe sapit,  
 7 cum me nemo vocet, nemo me accedat amicus,  
 8 cum spernant omnes quos ego semper amo,  
 9 quid faciam potius quam solus inertia tractem  
 10 quae studia in vacua sunt mihi sola domo ?  
 11 Nam quis, ut in tali populo, dignetur amicum  
 12 qui nunc istarum non sit amicus opum ?  
 13 Quis nam tali inopem dignetur honore poetam  
 14 qui nisi Musarum commoda nulla ferat ?  
 15 Atque ea Musarum quis amet jam commoda, quando  
 16 contemnunt etiam quos adamasse putes ?  
 17 Haec mihi causa fuit laetis, Joachime, diebus  
 18 in vacua solum delituisse domo.  
 19 Qui scis quam soleam gaudere sodalibus illis  
 20 qui mea non aegre libera verba ferant



21 quamquam haec ipsa suos novit sibi ponere fines,  
 22 si qua mihi est animi libera simplicitas,  
 23 nunc tamen hoc mirum poterat, Joachime, videri  
 24 in tanto populo posse latere aliquem  
 25 praecipue dum nemo latet, dum laeta laborum  
 26 pectora, laetitia concutiente, strepunt :  
 27 hoc urbs tam populosa viris mihi tempore facta  
 28 desolata viris, sicut eremus, erat.

## AD EUMDEM

S9\_6 v.1 Pro bene vestito Fabio, Joachime, poetam  
 2 mittimus investem nos tibi Simichidam,  
 3 non male vestitum tamen illum Doride palla,  
 4 sed Latia tristem semiferumque toga.  
 5 Qui tamen hoc etiam quod de Sybaritide terra  
 6 venerit in silvas, Romule Tibri, tuas  
 7 parte bona debere tibi, Joachime, fatetur.  
 8 Non ita nullius nomina frontis habet  
 9 jure igitur peregrinatus fer pascua mecum  
 10 Romula, Secaniam te duce rursus adit.

## D. JOANNI MYLIO JURECONSULTO.

S9\_7 v.1 Nударum chorus ille Gratiarum,  
 2 blandarum chorus ille ineptiarum,  
 3 pictarum ille chorus facetiarum,  
 4 seras conveniamus ad lucernas,  
 5 sed serae tamen ante quam lucernae  
 6 accedantur, in arce regis Hessi  
 7 regis non per inepta gloriosi  
 8 regum nomina perditissimorum,  
 9 sed per mustea regis ebriosi  
 10 Bacchi munera delicatiosi.  
 11 Quare, care Myli, tuum vocamus  
 12 tam carum caput, <ac> fidele pectus, (vers lacuneux)  
 13 ad seras, et ad ebrias lucernas  
 14 ponemus tibi nobilis ferinae  
 15 partem, Calydonidosque propinqua  
 16 missam indagine vepribusque silvae  
 17 et nil praeterea, sed ipse tecum  
 18 adduces breve symbolon, quod isto  
 19 pacto conveniemus, ut luamus  
 20 et vino simul et vacante mensa  
 21 quicquid perdiderint et haec et illa  
 22 quaeris nomina forte, quaestor, Hesus,  
 23 Hoepellus, Stibarusque Micalusque  
 24 i nunc esse nega chorum facetum.

## IN LIBELLUM ASTROLOGICUM JOACHIMI

S9\_8 v.1 Si memoratur Atlas caelum sudasse ferendo,  
 2 si tulit Hercules sidera fessa labor,  
 3 si flammam rapuit Jovis alta ex arce Prometheus,  
 4 si Lunam superis abstulit Endymion,

5 te quoque posteritas credet, Joachime, fuisse  
 6 caelestes solitum scandere saepe domos.  
 7 Qui tamquam astrifero sis nuper ab aethere lapsus  
 8 astra, gradus, orbis, lumina, signa doces  
 9 qui tam pulchra novae potuisti tradere luci  
 10 scripta palam nullo tempore visa prius.

## IN POETICAM HIERONYMI VIDAE

S9\_9 v.1 Non ita pontigenam Venerem bene pinxit Apelles,  
 2 non ita Phidiacae numina sancta manus  
 3 quam bene puberibus juvenem deducit ab annis  
 4 ad Musas docti provida cura Vidae.  
 5 Hunc lege qui magni cupis aurea scripta Maronis  
 6 tramite difficili non remorante sequi :  
 7 una fere patria est, non una est vena, sed ausum  
 8 hoc sperare tamen dixeris esse Vidam.

## LAURENTIO VIGELLIO SUO.

S9\_10 v.1 Cum nostra fugeres, Laurenti, nuper ab urbe,  
 2 cur me tanta tibi fallere cura fuit ?  
 3 An quia me comitem fieri tibi posse timebas ?  
 4 An quia quem cuperes fallere dignus eram ?  
 5 At mihi dixisses abiturum mane, dedissem  
 6 quae tibi nunc sero carmina missa vides.  
 7 Omnia debebant non falsos inter amicos  
 8 verba etiam falsam non habuisse fidem.  
 9 Si tamen officii ratio te justa coegit,  
 10 non est ad veniam janua clausa tibi,  
 11 nam potius mandata tui contempseris Hessi  
 12 quam patris, haec venia res caritura fuit.  
 13 Interea haec, age, trade meo mea carmina Paulo  
 14 serius at culpa carmina missa tua  
 15 me, si forte roget, venturum dicito, sed quam  
 16 tu prius huc redeas, posse venire nega.  
 17 Quod si Pieridum tibi nunc subit ille sororum,  
 18 quem modo jactabas, non simulatus amor.  
 19 Non te cura diu patriae damnosa tenebit,  
 20 jam volucer certe Daedalus esse voles.  
 21 Jam tu Triptolemi cuperes conscendere currus,  
 22 jam quoque si careas talibus, ire pedes.  
 23 Quod si cura tenet cari te justa parentis,  
 24 exspecta, nihil est cur properare voles.  
 25 Et si jam meliore loco res facta parenti est,  
 26 non video cur non huc rediisse queas.

## IN PLUTUM ARISTOPHANIS A THOMA VENATORIO VERSUM.

S9\_11 v.1 Auribus ut placeant Graiorum versa Latinis,  
 2 res est difficili plena labore dari,  
 3 praecipue numeros numeris qui reddere possint :  
 4 crede mihi paucos tempora nostra ferunt.  
 5 Quamquam sunt etiam multi qui fortiter audent  
 6 carmina Romano vertere Graeca sono.

7 Cum tamen exhibeant nil quam quod fortiter audent,  
 8 praestitit audaces forte fuisse minus.  
 9 Non tamen ergo sua fraudandi laude fuerunt.  
 10 Qui bona de Graiis nostra dedere bonis,  
 11 sic Venatoris Romano carmine Thomae  
 12 jam loquitur noster factus Aristophanes.  
 13 Non equidem totus, nec enim fuit utile totum  
 14 vertere, quod melius comica Graeca sonent.  
 15 Hoc tamen ingenii specimen dedit utile Thomas,  
 16 forsitan exemplum si placuisse queat.  
 17 Tu cui caecus erat prius et sine lumine Plutus  
 18 aspice, num sumpta luce videre queat.

## ANDREAE OSIANDRO.

S9\_12 v.1 Cum neque sic magni tractes oracula Christi  
 2 ut queat humani te puduisse loci.  
 3 Cum neque sic sophiae mysteria sacra sequaris,  
 4 ut nolis levibus te recreare jocis.  
 5 Cum te nulla adeo curarum seria turbent,  
 6 ut gerere a Musis corda aliena queas.  
 7 Cur mihi non animum nugas Hosiander ad istas  
 8 quas damus a curis dissoluisse voles ?  
 9 Et tua quandoquidem nobis praesentia rara est,  
 10 et mea, nescio qua condicione, tibi.  
 11 Ne sit amicitiae tamen haec jactura, quod illa  
 12 debuit officium littera testis agat.  
 13 Lugubris interea funebria carmina Musae :  
 14 perlege sic videas funera sera. Vale.

## AD GEORGIUM HALOANDRUM.

S9\_13 v.1 Si quid Haloander sacratis legibus oti  
 2 subtraxisse queas, ista profana vide,  
 3 non quia sint adeo sacratis dissita, ut ore  
 4 hoc Musae possint erubuisse loqui.  
 5 Sed quia funebres imitantia carmina luctus,  
 6 laetitiae cultus non habuere suae.  
 7 Nec tu Pieridum nunc es novus incola regni,  
 8 cognita jamdudum Castalis unda tibi est.  
 9 Non opus ergo meas tibi depinxisse Camenas,  
 10 quas satis ex ipso nosse colore potes.  
 11 Quod si forte tibi minus haec legisse vacabit,  
 12 hoc satis est, oculo transiliente vide.

## AD HONESTUM.

S9\_14 v.1 Sunt qui quod numquam potuerunt esse vocantur,  
 2 moribus et vitae nomina falsa gerunt.  
 3 Tu quoniam vere, quod diceris esse vocaris,  
 4 et quod te decuit nomen honeste geris.  
 5 Quid mirum si nostra tuis se moribus aequam  
 6 exhibet officiis capta Thalia tuis.  
 7 Musica sume igitur grato munuscula vultu,  
 8 quae damus et nostri hoc pignus amoris habe.

## MICHAELI ROTINGO.

S9\_15 v.1 Divinam, placido qui praefers nomine, pacem  
 2 candida qui placidae munera pacis amas.  
 3 Pacifici placidas Regis te transfer in aedes,  
 4 cum vagus occiduas Phoebus adibit aquas,  
 5 mollia securae tractabimus otia pacis,  
 6 qui chorus aetheriae pacis amamus opus.  
 7 Angele, pacis ades, pacem fer, Veneris autem  
 8 omnia pacificae plena quietis erunt.  
 9 Quamquam saepe soles pacem turbare loquendo,  
 10 et sedet in lingua bellica virgo tibi.  
 11 Sed venias, quia pacis amans Deus omnia nobis  
 12 laeta bono propriae pacis amore dabit.

## GEORGIO HOEPELLO COMPATRI.

S9\_16 v.1 Huc, mi compater, huc adesto quaeso,  
 2 postquam sol feret Hesperum cadentem,  
 3 arcem tunc pete Regis imperantis,  
 4 notos jam tibi cognitosque ab usu,  
 5 montes scandere, nam chorus tuorum  
 6 nostrarumque simul sodalium te  
 7 expectabit in arce consueta,  
 8 atque ut cuncta scias, memento tecum  
 9 nudae symbolon attulisse mensae,  
 10 sed parvum, sed inutile et minutum,  
 11 nam magnis rata poena jam statuta est.

## HUMANISSIMO VIRO D. GEORGIO GAUDERO PATRICIO NORICO.

S9\_17 v.1 Dicere saepe tibi voluit, gaudere, salutem,  
 2 anxia amicitiae nostra Thalia tuae,  
 3 dicere sed variae causae tenere volentem  
 4 non passae audaci currere, ut ante, via.  
 5 Quarum cum plures aliae, tamen omnibus illis,  
 6 plenior, improbitas temporis hujus erat.  
 7 Nam quis inaudaces hac tempestate Camenas,  
 8 judiciove probet consiliove juvet ?  
 9 Sic abjecta jacet contempti gloria Phoebi,  
 10 Palladis artisciae languit omnis honor  
 11 rara suum studiis adhibet quem debet honorem  
 12 gratia, rara suum littera pondus habet.  
 13 Artibus eximiis tantam invexere ruinam  
 14 nuper honorificum turba professa locum.  
 15 Munera linguarum tam pessum cuncta dederunt,  
 16 tam populo nugis imposuere rudi,  
 17 ut sit in hoc ullis vix hiscere tempore tutum,  
 18 qui colimus sacri Musica regna chori.  
 19 Qualiacumque tamen sint haec, gaudere Georgi,  
 20 non deploratae condicionis erunt.  
 21 Spirat adhuc aliquis Musis favor et sua nondum  
 22 deserit abjectas gratia Pieridas.  
 23 Dum te dum similesque tui non prorsus honorem,

24           sacraque Musarum deseruisse iuvat.  
 25       Tu tamen in primis nisi me vaga fama fefellit,  
 26           unicus Aonidum diceris esse comes.  
 27       Macte tua virtute chori comes unice nostri,  
 28           praemia virtuti sunt nova danda tuae.  
 29       Gratulor applaudoque tuae super omnia famae,  
 30           nec laus hac melior quam sequerere fuit,  
 31       ardua namque mihi res et praeclara videtur,  
 32           inter opes studiis invigilare bonis.  
 33       Semper enim studiis inimica opulentia rerum est,  
 34           ut status et ratio temporis hujus habent.  
 35       Namque vetus melior fuit et sapientior aetas,  
 36           cum pulchrum doctis regibus esse fuit.  
 37       Cum res principibus nisi doctis nulla daretur,  
 38           publica quo patriae cumque gerenda modo.  
 39       Tu quoque divitias doctae junxisse quieti  
 40           prorsus honorifica condicione studes.  
 41       Cumque trahant alios ad inertia ventris avari,  
 42           otia, te studiis appopulantur opes.  
 43       Macte iterum virtute ista, qua gloria numquam  
 44           accedet titulis clarior ulla tuis.  
 45       Me nisi fama chori vatam vulgata fefellit,  
 46           nominis ista tui fama perennis erat.  
 47       Nam mea non possunt aliquam sentire ruinam  
 48           carmina, sit Musas illa secuta licet.  
 49       Vive igitur missa laetus, gaudere, salute,  
 50           si qua potest Mosis tristibus esse salus.

CLARISSIMO VIRO D. HIERONYMO BAUMGARTNERO V. C. NORICO.

S9\_18   v.1       Sic tibi faustus eat sic sit sine nubibus annus,  
           2           cujus nunc subeunt limina solis equi.  
           3       Sic te nec tergo videat nec fronte maligna,  
           4           cujus hic apta deo nomina mensis habet.  
           5       Ut bonus esse soles nostris, Hieronyme, rebus,  
           6           sive benigna dea est, sive maligna dea est.  
           7       Cumque alii dubiis seu certis casibus actum,  
           8           vel male dissimulent, vel simulanter ament.  
           9       Solutus fortuna retines in utraque tenorem,  
 10           constantem animi quem retinere solent.  
 11       Cunque satis videar desertus ab exsule Musa,  
 12           nostra est in patria, te duce, Musa sua.  
 13       Tu quod erat certe sine me mihi triste futurum,  
 14           exilium patria dulcius esse facis.  
 15       Nate deas inter Phoebaeia regna tenentes,  
 16           corporis atque animi nocte decenter opes.  
 17       Debeo plura tibi quam debuit optimus olim  
 18           temporis Augusto condicione Maro.  
 19       Nam neque tunc ullo fuerant sine honore Camenae  
 20           nec sua principibus fama maligna fuit.  
 21       Tunc sua erant vulgo non invidiosa poetis  
 22           praemia, tunc censu non caruere scholae.  
 23       Nunc studia aversum frigent neglecta per orbem  
 24           et vix quo miserum corpus alatur habent.  
 25       Et nisi neglectis urbs Norica praestet asyllum,  
 26           aut nulla aut tenuis vita futura fuit.  
 27       Qua tamen et talem nisi te fortuna tulisset,

28           quid mihi cum turba Noris amoena tua ?  
 29   Ante meos ergo viventis spiritus artus  
 30           deseret, et rursus cum volet intus erit.  
 31   Quam tantis possim meritis ingratus haberi,  
 32           nomine quanta tuo jam mihi ferre grave est.  
 33   Quod tamen ingenio possum studioque fideli,  
 34           non erit officii languida cura mei.  
 35   Et mea si vitam, quam sperant, scripta merentur,  
 36           forte aliqua hoc veniet nomine vita tibi.

## CHRISTOPHORO COLERO V. CONS. NORICO.

S9\_19   v.1   Qui quod habes veris nomen virtutibus aequas  
           2           digne quidem versu, sed meliore cani.  
           3   Quanta tua est probitas qui quae tibi scribimus olim  
           4           vilia, laudari carmina digna putas ?  
           5   Tale equidem nihil agnosco quod nominis hujus  
           6           mensurae ratio parvula ferre queat.  
           7   Dum tamen ingenue laudas mea, laude ferendum  
           8           candorem ostendis pectoris esse tui.  
           9   Note per Aonii nemoris spatiosa vireta,  
 10           tu quoque Castalio fonte, Colere, satur.  
 11   Quas tibi pro pietate tua persolvere grates ?  
 12           Quae possum meritis praemia ferre tuis ?  
 13   Quid nisi quod laudem, si quam mea scripta merentur  
 14           deberi fatear tempus in omne tibi.  
 15   Qui me nil meritum de te bene, fronte benigna,  
 16           accipis et multa dexteritate foves.  
 17   Quae quia natura est tibi tam generosa, nec umquam  
 18           parte bona similis desinis esse tui.  
 19   Certa meae venit de te fiducia menti,  
 20           per te etiam nostras posse valere preces.  
 21   Cum sis Noricidae pars tu quoque magna Senatus,  
 22           turbaque patronum te studiosa colat.  
 23   Non est quod metuum ne sit tibi nostra molestum  
 24           carmina mansueta sustinuisse manu.  
 25   Accipe nunc igitur missi tibi scripta libelli  
 26           et patriae laudis perlege scripta tuae.  
 27   Non tamen hic opus est totum legisse libellum  
 28           paene satis fuerat lemmata sola legi.  
 29   Quod si forte tibi mea scripta, Colere, placebunt  
 30           fac precor effectum quae placuere ferant  
 31   sit tibi sit felix qui nunc novus inchoat annus  
 32           integer, et nulla labe notandus eat.  
 33   Sidera sic nullam cladem tibi saeva minentur,  
 34           sic tua te salvo sit tibi salva domus.

## IN LIBELLUM GEORGII SABINI.

S9\_20   v.1   Unius immenso monumenta volumine dixit  
           2           caeculus, errantis per duo lustra viri  
           3   multorum exiguo monumenta volumine dixit  
           4           hac duplici claudens fine Sabinus opus.  
           5   Accipe nunc generosa tuas Germania laudes  
           6           ni sis, ut solita es, nescia forte tui  
           7   quanta sit ingenii, quae gratia carminis hujus

8           tam te scire velim quam rogo ut ista legas  
 9           si qua fides tamen est senioris habenda Poetae.  
 10          De juvene, oracli carmen id instar habe  
 11          me nisi fama chori vatium vulgata fefellit  
 12          gloria Pieridum prima Sabinus erit.

## VINCENTIO OBSOPEO SUO

S9\_21   v.1       Cui verum non falsa dedit victoria nomen,  
           2        Vincenti, solida vincere docte fide.  
           3        Si qua tui te cura tenet, sicut tenet, Hessi  
           4        ad Madidi mecum vina bibenda veni.  
           5        Quod si non mecum venias, post ipse venito  
           6        cum fuerint soceri prandia sumpta tibi.  
           7        Invenies illic quod te invenisse juvabit  
           8        simpliciter plenum pectus amore tui

## D. GEORGIO STURTIADAE

S9\_22   v.1       Cum nec finem habeat virtus tua maxima nec dum  
           2        in me profusa desinat liberalitas,  
           3        nunc quoque, Sturtiade, non desinis esse benignus  
           4        quin vina mittis illa quae promiseras  
           5        condita de veteri quae tu nova ducis amurca  
           6        e faece vini vina dicta sobria :  
           7        sic quoque nunc crescet meritorum turba tuorum  
           8        augebiturque vera liberalitas.

## IOBO GASTO SUO.

S9\_23   v.1       Gaste, salutiferi mysteria promere verbi  
           2        docte bona nobis, cognite Gaste, fide,  
           3        cum tibi non desit facundae gratia linguae  
           4        quique bonis vere candor inesse solet.  
           5        Cum tibi sint et opes nec iniquae, nec nimis amplae  
           6        sed quae sufficiant teque decere queant.  
           7        Quid mirum si te placide studiosa colentem  
           8        otia, doctorum candida turba colat  
           9        quorum praecipuo quia me dignaris in albo  
 10        an meriti possim non memor esse tui ?  
 11        Anne ego cum celebrem per nostras plurima silvas  
 12        nomina, te tacitum praeteriisse queam ?  
 13        Non ita me faciles adament super omnia Musae,  
 14        non ita me vatium numina sancta probent.  
 15        Quae mihi nunc caro deducere carmina, Gasto,  
 16        incipient, et tu carmine dignus eras,  
 17        dignus eras et qui nostris legerere libellis  
 18        quique decus scriptis adjicerere meis.  
 19        Sed tamen haec alias tibi liberiore feremus  
 20        pectore, nunc aliud quod meditabar erat.  
 21        Jam Sol hiberno fugiens Chironis ab arcu  
 22        Capripedem modico lumine Pana subit.  
 23        Orgia nascentis prope sunt natalia Christi,  
 24        gaudia quae nobis laetitiamque ferunt.  
 25        Nos domini tecum genitalia festa colemus,

26 nos duo amicitiae maxima turba tuae,  
 27 nos duo fatidici non ultimus Hesus honoris  
 28 et Lucas verae cultor amicitiae.  
 29 Non opus ut speciosa pares convivia nobis  
 30 fercula sunt tecum qualiacumque satis  
 31 plurima non etiam perdemus vina bibendo :  
 32 cultores Christi sobria vita decet.  
 33 Tres erimus tecum, si quartum quaeris amicum,  
 34 adde Sigismundum, plena Phaselus erit  
 35 si tibi forte alia ratione videtur agendum  
 36 rescribas quid non, quidquid morere. Vale

## IN MENSA SUA NORIBERGAE

S9\_24 v.1 Ter tribus atque tribus mensa est haec sacra puellis  
 2 non tibi cui mater, qui pater ante, fuit.  
 3 Si tamen et Bromium super hac libabis honorem  
 4 pro numero Charitum Pieridumque bibes  
 5 tredecimus Genio dabitur, sed plenior, haustus  
 6 laetitiae reliqui laetitiaeque deo,  
 7 si qua voluptati debentur sobria sumes  
 8 pocula, deformis sit procul ebrietas

## AD JOANNEM CATZMANNUM NORICUM JOCUS.

S9\_25 v.1 Regis amans magnoque comes gratissime Regi,  
 2 quo non majores possidet alter opes  
 3 denique sceptrigero carus, Keczmanne, poetae  
 4 (regia nunc fatuus scepra Poeta tenet.)  
 5 Cum sis sceptrigero carus, Keczmanne, Poetae,  
 6 cujus tu Musas non simulanter amas,  
 7 cum tua non habeant aliquem praecordia fucum  
 8 nec mens a lingua dissonet ipsa sua.  
 9 Quid mirum nostros si non sis inter amicos  
 10 ultimus, et multis si videare prior  
 11 sicut amicitiae constabant jura fidelis,  
 12 donec in una annis pluribus urbe sumus.  
 13 Sic quoque temporibus debet constare futuris  
 14 quo nos cumque loco fata futura manent.  
 15 Ergo ego non patiar nostris tua grata libellis  
 16 nomina non aliquo laudis honore legi.  
 17 Non tamen hujus erat mihi nunc suscepta laboris,  
 18 non etiam ratio haec temporis hujus erat.  
 19 Longe aliud fuerat quod nunc mea Musa volebat  
 20 res tibi versiculis nota duobus erit :  
 21 Lyncus et ipse tuas hodie veniemus ad aedes  
 22 si vacat, et si nos forte venire voles.

IN FORIBUS SCHOLAE ERPHURDIANAЕ CUM E NORICO REVERSUS ESSET  
ANNO M. D. XXXIIII.

S9\_26 v.1 Ecquod adhuc reduces quo nos adducere Musas  
 2 possimus placido sidere, tempus erit ?  
 3 Fallor an hanc fato melius currente reduxit  
 4 versa remolliti numinis ira, diem ?



5 Sic ego, Castalidum sic reddidit una sororum  
 6 nec de gente novem carior ulla mihi est ;  
 7 quae modo fatalem casum clademque secutae  
 8 indigno miserae vulnere concidimus  
 9 spem nactae meliora dari jam numine Divum  
 10 tempora, de tenebris tristibus eruimur.  
 11 Et simul amissum studiis reparamus honorem  
 12 heu nimium clades haec diuturna fuit.  
 13 Quare age, perge datum fatis urgere laborem  
 14 cetera permittens, qui regit ista deo.  
 15 Talibus Uranie dictis solata rogantem  
 16 in patriae rediit lucida regna suae.  
 17 Nec tu Ghericola sive es vetus incola in urbe,  
 18 seu novus in nostris sedibus hospes ades.  
 19 Ne tu vana putes nostra te voce moveri  
 20 certa est, et causas res habet ista suas  
 21 quas tamen hic nimium fuerit memorare molestum  
 22 et fuit alterius temporis iste labor.  
 23 Nunc age, qui reduces poteris sperare Camenas,  
 24 me duce, Musarum limina rursus adi  
 25 me nisi versa retro fati vis certa fefellit.  
 26 Jam suus ingeniis restituetur honor,  
 27 jam studia amissum decus et detracta resument  
 28 praemia, jam virtus nulla jacebit iners.  
 29 Nam quid ut humanis rebus studia ista negemus  
 30 quae colimus ? Quae nam vita futura fuit ?  
 31 Numquid ut indoctis regerentur et orbis et urbes ?  
 32 Qua ratione nec hae stare, nec ille potest.  
 33 Mille alias taceo causas, si mille requiras  
 34 qui sapis, occurrent milia multa tibi.  
 35 Quisquis es aut parvi novus aut vetus accola Gherae,  
 36 ne sine iudicio scripta fac ista legas  
 37 nos tibi, ne dubites, Pegnesida liquimus Urbem  
 38 cultaque Thuringae venimus arva plagae,  
 39 non quia non fuerim meritis et honoribus auctus,  
 40 sed quia magna Scholae cura mihi hujus erat,  
 41 quae me quo potuit semper dignata favore est.  
 42 Huic ego me gratum qua ratione negem ?  
 43 Hanc modo fert animus merito relevare jacentem,  
 44 si sinat hoc qui nos, quod sumus, esse sinit.  
 45 Quis tamen hoc ausit de se promittere solo  
 46 multorum series ista laboris eget.  
 47 Accedent alii qui nos aut artibus aequent,  
 48 aut etiam ex ista vincere parte queant,  
 49 cetera succrescens moderabitur omnia tempus :  
 50 proxima jam tanget litora nostra ratis.

IN EFFIGIEM PRINCIPIS HESSORUM

S9\_27 v.1 Quem juvat Hessiaci faciem vidisse Philippi  
 2 haec videat docta facta parerga manu  
 3 nondum contigerat sexti confinia lustris  
 4 floris ad huc primi tempore talis erat.  
 5 Tempore servilis quo dira incendia belli  
 6 sustulit, et pacem per sua regna dedit.  
 7 Reppulit insidias positas sibi fortibus armis,  
 8 fulmineo Francas terruit ense plagas,

9 exitium praesens elusit ab hoste paratum.  
 10 Illius Augustum paenituisse ferunt,  
 11 omnes Europae reges conspexit et urbes  
 12 cumque his certa sibi foedera constituit.  
 13 Pronior ad pacis, quam belli semper ad artes  
 14 tanta gerens primo tempore, talis erat.  
 15 Nunc quoque terribili quatiens arma horrida motu  
 16 talis ad huc magnos fulminat ante Duces,  
 17 talis in arma viros rapit, et Mavortia sternit  
 18 agmina, ceu gladiis obvia quaeque metens  
 19 Wirtembergae domos talem nunc esse fatetur  
 20 hoc duce quandoquidem reddita tota sibi est.  
 21 Tanta sui primo potuit qui tempore veris  
 22 illius autumnus conice qualis erit ?  
 23 Quicquid erit, nisi mens veri praesaga fefellit,  
 24 ipse brevi magnis tempore major erit.

IN EFFIGIEM DUCIS UDALRICI WIRTEMBERGENSIS.

S9\_28 v.1 Hac ducis Ulrichi depinxit imagine vultus,  
 2 nil praeter vultus pingere docta manus.  
 3 Quod si tam possent animi quam corpora pingi,  
 4 taliter haec aliis posset imago loqui :  
 5 "Florebam regno, atque opibus, me gloria bello  
 6 extulit, eximio milite fortis eram  
 7 qualis in imperium fuerim, nec tu puto Caesar,  
 8 maxime si vivas, Aemiliane, neges.  
 9 Jam pulchra nimium felix mihi prole videbar,  
 10 jam mihi summa bonae spes rata pacis erat.  
 11 Invidit fortuna, meosque evertit honores,  
 12 et patrias fractis rebus ademit opes.  
 13 Exutus patria atque opibus tria lustra peregi,  
 14 tam sunt exilii tempora longa mei.  
 15 Nec merui cur indicta ratione perirem  
 16 quae fuerat facti certa decensque mei.  
 17 Vidit, et ex merito quod iudicat omnia numen  
 18 reddidit et patriam divitiasque mihi  
 19 frivola Siggingi quo tempore bella repressit  
 20 et capto pretium laudis ab hoste tulit.  
 21 Justa meus pro me num moverit arma Philippus,  
 22 debita justitiae gloria testis erit.

D. GEORGIO SPALATINO SUO.

S9\_29 v.1 Qualis eras in flore tuae, Spalatine, juventae  
 2 talem nunc etiam gratulor esse virum.  
 3 Cum soleant alios aulae corrumpere Regum,  
 4 miror te mores non posuisse tuos  
 5 qui dum Saxonidos splendore moraris in aulae ;  
 6 quinque tuae vitae lustra peracta vides :  
 7 da Curios Fabiosque mihi magnosque Catonas,  
 8 desinerent istic moribus esse suis.  
 9 Quando igitur puero nihil es mutatus ab illo  
 10 quem mea Bucolico carmine Musa canit.  
 11 Si qua tuo temere, Spalatine, negaveris Hesso,  
 12 jam mihi longe alius quam Spalatinus eris.

13 Ergo ubi pastus eris mensae condita ducalis  
 14 insipidum panem vix habiture, veni :  
 15 nos tibi pro patinis numeros, pro carne libellos,  
 16 pro condimentis libera verba damus.  
 17 Talia si potes esse veni, sed ut omnia possis  
 18 quam venias ad me sis satur ante vide.  
 19 Sed cur non venias etiam jejunos ad Hessum,  
 20 qui verbis alios exsaturare potest.

D. THOMAE GRANMERO REGIS ANGLIAE LEGATO.

S9\_30 v.1 Magne vir, et certe meliori digne Thalia  
 2 quae memoret laudi carmina digna tuae,  
 3 quaerere praecipuo cur me digneris honore.  
 4 Causa satis praesens, cum libuisset erat  
 5 quod ni praecipuis clarus virtutibus esses,  
 6 non esset meriti gratia tanta tui.  
 7 Quod nisi tam magno Regi carissimus esses,  
 8 non esses patriae gloria tanta tuae,  
 9 quas quia tam raras generoso in pectore dotes  
 10 quod quia tam meritis nobile pectus habes  
 11 dignus Homeriaco, Thoma Grammere, fuisti  
 12 carmine, nec Musa tam titubante cani  
 13 dispeream tamen et cunctos exstinguar in annos,  
 14 ni tua perpetua nomina laude feram  
 15 et tua Germanum non nesciet Anglia vatem,  
 16 Anglia Germani sanguinis alta domus.  
 17 Nunc non passa fuit brevis haec angustia longum  
 18 scribere, et hoc quod habes vix rude carmen erat.

-----